Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Quistorp

Johannis Quistorpii, Doctoris, Et Theologicae Facultatis In Universitate Rostochiensi Senioris. In divinam S. Apostoli Pauli Ad Colossenses scriptam Epistolam, Commentarius Analyticus : In quo Textus Analytice resolvitur, Eius sensus genuinus ex fontibus indicatur, Et locis Parallelis illustratur

Rostochii: Rostochii: Hallerfordus: Pedanus, 1636

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110508

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

— 128 Bog
— 123 Bog
— 88 Bog
— 73 Bog
— 104 Bog
— 235 Bog

— 311 Bog

L. S.

49. d. 4.

Fd-1060.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110508/phys_0002
DFG

3 I 2

1./ Jo. Quistorpii Commentarius in Epistolas Pauli

ad Galatas.
Ephesios
Philippenses.
Colossenses.
Thessalonicenses.
Timotheum.
Titum.
Ebraeos.

159

Fol 1060

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110508/phys_0003
DFG

JOHANNIS QUISTORPII,
DOCTORIS, ET THEOLOGICÆ
FACULTATIS IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI
SENIORIS.

In divinam

S.

APOSTOLI PAULI

AD

COLOSSENSES

scriptam Epistolam,

Commentarius Analyticus.

In quo Textus

Analytice resolvitur,
Ejus sensus genuinus ex fontibus indicatur,
Et locis Parallelis illustratur.

ROSTOCHII,
Sumptibus Hallerfordi Bibliopolæ.
Literis Viduæ JOACHIMI PEDANI,

ANNO M. DC. XXXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110508/phys_0005
DFG

MAGNIFICO UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS RECTORI

Viro Experientissimo & Clarissimo

DN. JACOBO FABRICIO,

Medicinæ Doctori, Archiatro, & Professori eximio, Compatri & Collegæ plurimum colendo.

Salutem & prosperitatem à Jehova precor.

QUatuor illorum sunt genera, qui commentaria in Libros Sacros vulgant. Primum eorum est, quorum omnis opera, omnis labor in eo occupatur, ut antecedentibus, & consequentibus bene pensitatis, vocum & phrasium proprietatibus consideratis, parallelis locis, quibus quod sub manibus habent illustratur & confirmatur, allatis, perspicua analysi, quomodo singula cohæreant, docent, & hoc pacto lectori genuinam Spiritus Sancti loquentis mentem exhibent, dictorumq; usum in locis doctrinę succinte additis, quasi indice digito commonstrant. Alterum illorum, qui cohærentiam textus non attendentes, vocabulorum phrasiumq; susq; deq; habita consideratione, paraphrasi quadam textum illustrant, & prolixe locos communes persequuntur. Tertium illorum, qui in controversius se diffundunt, & quæstiones plurimas, non tam ex contextu natas, quam aliunde allatas, operose & prolixe examinant. Non absimiles illi, qui cum virgilii Æneida interpretaturus esset, primum ejus versiculum.

Arma virumq; cano Trojæ qui primus ab oris, Ita explicavit, ut ad vocem *Arma* artem militarem, *Virum* Physicam, *que* Grammaticam. *Trojæ* Cosmographiam. *Primus* Arithmeticam, *Oris* Geometriam integram persequeretur. Inter hos recenseri possunt quos affert Aben Ezra in Præfatione sua rythmica super pentateuchum: ubi meminit, quendam R. Jizchak, duo magna volumina

scripsisse super priores versus Geneseos usq; ad וַיְכֻלּוּ ; & occasione lucis totam opticam; occasione plantarum, totum Herbarium; occasione animalium, totum physicam pertractasse. Alium nomine Raf Saadiah Gaon; occasione astrorum totam matheſin immiscuisse. Alium Raf Schemuel filium Cophni; occasione profectionis Jacob, Gen. 28. 10. totum itinerarium; occasione somnij, Genes. 28. vers. 12. totam ὀνειρολογίαν, & modos interpretandi docuisse. Thomas Haselbachius Theologiæ in Academia quondam Viennensi Professor vigenti duos annos in explicatione cap. 1. Esaiæ insumpsit, nec tamen ad finem perduxit, teste Ænea Sylvio, & Cuspiniano. Quartum illorum qui omnia ad allegorias trahunt, quid vis ex quovis exculpunt, ac nil nisi seraphicum spirant: quibus rudiorum animi in admirationem rapiuntur, hæcq; tanquam ex tertio cœlo allata ex osculantur. Non mihi id sumo, ut censoriâ virgulâ cujusquam propositum labores ve notem: id tamen candide assero; me illis qui ad primum genus pertinent, vel saltem id operam dant, ut illi accenseri quodammodo mereantur, maxime delectari, quum pro persuasissimo habeam, eos quæ sunt boni interpretis præ reliquis spectare. Inter hos nomen profiteor meum. Non quod me assecutum esse putem, quæ ab illis requiruntur, quos primo loco nominavi; sed quod eo respexerim, ut genuinum textu cohærentiam, mentemque in eo loquentis elicerem; & quomodo ad usus lector ea accommodare possit, tribus monstrarem. Si quis me prolixius omnia diducere, dictis exemplisque congestis illustrare debuisse censet; Is sciat me non in eo esse, ut homilias ad populum habendas scribam: sed ut ipsum textum sacrum lecturo, facem quodam modo præferam. Id si vel pauci, qui boni sunt, me assecutum esse censuerint, est quod mihi gratulor: sin minus, me id tamen spectasse testem laudo conscientiam. Eoq; me consolor, *Esse aliquid prodire tenus, si non datur ultra.*

Hoc dum ago, & nunc, quibus Epistolam D. Pauli ad Colossenses Illustravi, publicis Juris facio, Tibi illa Magnifice Dn. Rector, Collega & Compater dilecte, ceu tesseram mei inter favoris nuncupare volui. accipe ab Amico hoc Chartaceum munus, & me, quod facis, porro amare perge, Rostochii 7. Cal. Sept. A. 1636.

T. M. S.

Johannes Quistorpius.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110508/phys_0008
DFG

EPISTOLÆ D. PAULI AD COLOSSENSES ANALYTICA EXPOSITIO.

QUæ in reliquarum Epistolarum Paulinarum expositione prælibavimus, eadem quoq; interpretaturi cum Deo, illam quam ad Colossenses scripsit, antequam ad verba Epistolæ accedamus, proæmii loco præmittemus. Dicturi quæ Apostolo fuerit epistolam hanc scribendi occasio; quod ejus Argumentum, quæ partes.

DE OCCASIONE.

QUum ex Epaphra Colossensium Doctore, qui Romam venerat ut Paulum jam incarceratum inviseret, statum Ecclesiæ apud Colossenses Apostolus intellexisset, quod in ea ipse Epaphras semina doctrinæ Apostolicæ sparsisset, quam pseudo-Doctores interspargendo tum philosophicas argutias, tum ἐθελοθρησκίας ac ritus Mosaicos, ceu lolium, corruptum ibant. Id postquam cognovit Apostolus, ad illos exarare voluit hanc Epistolam. Primò, ut veram esse illam quam ab Epaphrâ didicerant & acceperant doctrinam, suo testimonio comprobaret, & Colossenses in doctrina, quam acceperant, confirmatet. Secundo, ut præmoneret, ne se Mosaicis Ceremoniis & Philosophastrorum argutiis, quibus simplicitas & puritas doctrinæ Evangelicæ corrumpitur, seduci paterentur.

ARGUMENTUM.

PErsistant Colossenses in illa doctrina quam ab Epaphra acceperant, cujus brevem summam recitat, & in quibus potissimum salus nostra posita sit, exponit, ut inde convenientiam Epaphræ cum Apostoli doctrinâ cognoscant, in quâ illos vult perseverare, simulq; refutat pseudo doctores, ostendens ceremonias Mosaicas, cultus excogitatos, & philosophicas speculationes ad salutem nihil facere. Post illos jubet pergere in studio pietatis, ut cum doctrinæ puritate, vitæ innocentia apud eos conjungatur.

Partes *Epistolæ sunt* Inscriptio, *constans consuetis partibus, Subscriptione. Inscriptione, & salutatione versib. 1. 2. 3.* Secunda, Exordium, *ad benevolentiam comparandam compositum vers. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.* Tertia, Confirmatio *illius doctrinæ, quam ab Epaphra didicerant, cujus summam recitat; docendo nos per Christum, peccatorum nostrorum remissionem consequi, in illoq; solo nostram salutem esse repositam, à versu 12. usq; ad finem.* Quarta, Consultatio, *in qua falsis doctoribus se opponit, & requirit, ut nec per Mosaicas traditiones, nec per Philosophicas subtilitates, se ab hâc doctrinâ, quam acceperant, abduci sinant. Capit. 2.* Quinta, ad officia hominis Christiani adhortatio, *in quâ primò, generales ad vitæ novitatem pertinentes adhortationes, omnibus præscribit. Deinde præcepta specialia, in singulis vitæ ordinibus viventibus necessaria subjicit. Cap. 3. & vers. 1. cap. 4. Tertio ad præcepta generalia revertitur usq; ad vers. 7. capitis ejusdem.* Sexta, rerum *aliquot* privatarum congeries, *usq; ad finem Epistolæ.*

CAPUT PRIMUM.

Post inscriptionem, eleganti proœmio Epistolam auspicatur, in quo ex Epaphra de Colossensibus se audisse ait, quod postquam didicerant doctrinam Evangelicam, in fide & charitate perstiterint, exspectentq; Christi adventum, quo ad gloriam evehantur. in hisce ut constanter perseverent precatur. Hinc summam doctrinæ Christianæ recitat, & in quo salus nostra reposita sit, & quomodo ejus participes fiamus, exponit. Post suarum quaq; meminit afflictionum & Apostolatus.

Partes *capitis sunt* quatuor. Inscriptio, Exordium, Compendiosa doctrinæ Evangelica expositio, Afflictionum & Apostolatus Pauli mentio. Inscriptio *constat.* Subscriptione, Inscriptione, & Salutatione. Subscriptio, personas *scribentes* exponit *duas.* Paulum & Timotheum. *Priorem & nomine proprio indicat,* Paulus, *& ab officio circumscribit, quod sit* Apostolus & Legatus, *non hominis cujusdam, sed* Christi, *Dei & hominis, qui ipsum ad Apostolatum vocarat, Act. 9. & quem solum sciebat ac prædicabat 1. Cor. 2. 2. nec in hoc officium se ingesserat, sed ad illud voluntate Dei patris pervenerat,* per voluntatem Dei, *a quo ad Evangelij prædicationem fuerat segregatus Rom. 1. 1. Hæc eo spectant omnia, ut autoritatem dicendis conciliet: quæ, tanquam Christi, & Dei Patris, cujus legatum agebat, verba accipi voluit. Posterior* Timotheus, *de cujus parentibus Act. 16. 1. 2. Tim. 1. 5. Studiis. 2. Tim. 3. 15. Officio Act. 19. 22. 1. Cor. 4. 17. Phil. 2. 19. 1. Thess. 3. 2. Fide & diligentia in officii partibus obeundis 1. Cor. 4. 17. Phil. 2, 20.* Fratrem *hunc nominat, non tantum propter patrem cœlestem, & religio-*

nem communem, sed & propter fraternum quem in ipsum gerebat animum, & labores in Evangelio communes. Modestiæ Apostolicæ signum est, quod eum sibi tanquam Epistolæ authorem conjungere, & in partem honoris venire voluit: omnibus in Ecclesiastico officio senioribus merito imitandum, qui cum juniores laborum socios habere velint, rarò in honoris & præmiorum participationem eosdem admittunt.

In inscriptione *I. ad quos scripserit exprimit.* Iis qui sunt Colossis, *fuerunt autem Colossæ, magna urbs Phrygiæ, ut Herod. in Polymnia p. 206. lin. 1. & ut Xenophon. lib. 1.* πόλις Φρυγίας εὐδαίμων καὶ μεγάλη *ait, in quibus flumen fuit, in quo lateres conjecti lapides extrahebantur, ut Plinius scribit lib. 31. cap. 2. ad Ecclesiam, quæ in hac urbe collecta erat, missa est ab Apostolo epistola. Ornat autem Colossenses triplici titulo 1. Vocat* Sanctos, *tum propter Christi sanctitatem imputatam, tum propter inchoatam, cui studebant, quæ in vitæ sanctitate elucescebat. Secundo,* fideles, *propter constantem Christianismi confessionem. Tertio* Fratres in Christo, *per quem jus filiationis consecuti sumus, ut Dei filij, fratres Christi, & confratres invicem dici mereamur.*

In salutatione, *& bona quæ ipsis precatur, & autorem à quo precatur exprimit.* Bona quæ precatur, duo *sunt. Primum* gratia, *quo nomine venit gratuitus Dei favor, nos propter Christum complectentis.*

Secundum, Pax, *seu conscientiæ tranquillitas, quæ effectus est divini favoris, qui enim Deo favente utitur, is nec amplius fluctuat, nec Deum severum peccatorum judicem metuit.* Autor bonorum, Deus pater, *à quo omnis donatio bona, & omne donum perfectum Jacob. 1. 17. Eorundem* Causa meritoria Jesus Chri-

Christus, *qui nobis bona hæc comparavit, & propter quem eadem consequimur.*

EXORDIUM *duabus* constat *partibus.* Gratiarum actione & precatione. *In* gratiarum actione *hæc observentur. 1.* Qui sint gratias agentes. Gratias agimus, *illi qui epistolam scripserunt, Paulus & Timotheus, gratias quoque agunt, gratos se præstando pro beneficio in Colossenses collato.* 2. Cui gratiæ agantur. Deo. *quamvis & Epaphræ, qui Colossenses in rebus fidei informarat, gratiæ debeantur: tamen Deo, qui hujus erat usus opera, & qui benedixerat ejus laboribus, potissimum gratias agit.* Nominat eum Deum & patrem Domini nostri Jesu Christi, *ut â reliquis Diis fictitiis distinguat; & hac quidem periphrasi, Deum potius, quam illis in Veteri Testamento usitatis circumscribere voluit; quia in hoc beneficio missionis filij, ultimo se Deus nobis declaraverat.* 3. Quoties. Semper. *quâ temporis circumstantiâ, suum in illos affectum expressit, quod, quoties alia Deo committeret precibus, illorum simul mentionem faciat?* 4. Pro quibus. Pro Vobis, *sit id Colossensium nomine, quorum statum felicem, suum in precibus faciunt, Deo pro ipsis gratias agentes.* 5. Quomodo, precantes, *inter orandum. Preces siquidem cum gratiarum actione meritò conjunguntur: dum enim bona â Deo precamur, eidem pro ante præstitis gratias agimus, & eundem ad novorum beneficiorum concessionem invitamus.* 6. Causæ cur gratias agat. *Quia de eorum fide & charitate ab Epaphra certior erat factus.* Postquam audivimus fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem in omnes sanctos *quoniam duo illa in quibus Christianismus consistit, quæ sunt fides & charitas, in Colossensibus inveniebantur, hinc se permotum ait, ut Deo eorum nomine gra-*

tias agat. Præmittit autem fidem, tanquum causam, ex quâ dilectio effectus promanat: qui enim Christo vera fide adhæret, in hoc necessum est inveniri fructum, dilectionem.

Adjungit *autem simul* causam, *quæ illos permovit, ut Christianam religionem amplexi fuerint, fide in Christo recumbant, & seria dilectione, & affectu benevolo in proximum ferantur.* Propter spem repositam vobis in cœlis. *quia vident illos manere gaudia, qui Christum vera fide amplectuntur, & hanc, charitatis in proximum operibus, exerunt, ideò acceptarunt Christianam religionem fide, Christo adhærent, & officia Charitatis proximo exhibent. Undè verò certi redditi sint, repositam esse fidelibus in cœlis æternam hæreditatem, simul exponit. Non id factum, nec ex rationis discursu, nec ex Angelicis revelationibus, nec ex doctrina legis; quæ, quamvis vitam æternam quoque polliceatur, tamen quia sub conditione perfectæ impletionis id facit, non poterant inde Colossenses, sed ex doctrina Evangelij, quæ gratis propter Christum hanc promittit, spem vitæ æternæ concipere.*

Observanda *autem* sunt, circa mentionem hujus instrumentalis causæ, *per quam istis innotuit cælestis hæreditas.* Quinque. 1. Quomodo Evangelium circumscribat. 2. Ad quos pertineat. 3. Quis ejus usus. 4. quid in illo prædicetur. 5. Per cujus ministerium id didicerint. *Nominat* verbum veritatis, *quia de Christo qui veritas est Joh. 14. 6, concionatur? Ad quos pertineat, non ad solam gentem judaicam, sed ad omnes terræ inhabitatores,* quod pervenit ad vos, sicut & in totum mundum. *Ascensurus cœlos Christus, suis injungebat discipulis, utirent in orbem universum, & annunciarent Evangelium omni creaturæ Mat. 28. 19. Huic paruerant mandato Apostoli, &*

suo

suo præconio omnes fermè terræ partes impleverant. 3. *Quis ejus usus,* & fructum profert, sicut apud vos quoque, ex quo die audivistis, & cognovistis, *non frustra docetur, sed fructum fert, idque dum ejus præconio, credentium numerus de die in diem crescit, & qui illud audiverunt, in fide & vitæ sanctitate proficiunt:* 4. *Quid in illo prædicetur.* Gratiam Dei in veritate, *Gratia enim Dei, gratis nos propter Christum acceptantis, in illo annunciatur, & nobis offertur.* 5. *Per cujus ministerium Colossenses Evangelium acceperint.* Sicut didicistis ex Epaphra. *quia inter Doctores plurimi sunt falsi operarij, qui vel ignorantia, vel malitia, vel ambitione Evangelium adulterant, necesse est ut fidi ministri distinguantur â minus fidis; Apostolus suo suffragio comprobare voluit illa quæ Epaphras docuerat.* *Quare & ipsum* commendat 1. ab officio. dilecto conservo nostro, *quia Apostoli & Timothei in ministerio Evangelij conservus, isque amore propter doctrinæ conformitatem dignus.* 2. *A* diligentiâ *in partibus officij obeundis.* Qui est fidelis pro vobis diaconus Christi. *Summa fide ad salutem necessaria proponens, sicut ministrum Christi, qui fideliter sibi mandata exsequitur decet.* 3. â Candore. Qui & declaravit nobis vestram dilectionem in Spiritu. *Candidè exposuit, vos dilectionis mutuo nexu copulatos, Spiritualem invicem colere Charitatem, &, ceu fratres in Christo decet, uno Spiritu actos, alterum in alterum serio affectu & amore Christiano ferri.*

In Precatione *notentur* quatuor. Primò *quid Apostolum & Timotheum ad precandum impulerit.* Propterea. *Quia illa quæ ante exposuit ex Epaphra intellexerunt, jacta esse apud illos doctrinæ fundamenta, fide eos Christum amplecti, mutuo se diligere*

diligere, & expectare Cœlestia gaudia; his permoti, pro ipsis preces fundunt 2. Quando *precari cœperint.* Ex quo die id audivimus. *Statim ac Apostolo & Timotheo fides Colossensium ab Epaphra exposita est* 3. Quânto fervore *preces persequatur,* non desinimus pro vobis orare. *non quod, juges fundant preces; sed quod, tum interno mentis desiderio, semper ipsis benè velint, tũ quoties preces ad Deum fundunt, pro ipsis simul intercedant.* 4. Quid illis precentur. *Tria.* 1. Cognitionis incrementum, ut impleamini cognitione voluntatis ipsius. *Sicut nemo, quantisper hanc vitam vivit, ad illam perfectionem, pervenit, ut nihil ipsi desit. Ita quoque Colossensibus adhuc quædam deerant. Precantur igitur Apostolus & Timotheus, ut pleniorem voluntatis divinæ cognitionem adipiscantur, rectius de die in diem, ex verbo Dei, quod nobis voluntatem Domini exponit, de rebus fidei informentur, usque dum ad omnimodam in futura vita cognitionem perducantur.* Adjungit *autem* huic cognitioni duo, *quæ partes quasi sunt illam constituentes.* Sapientia & prudentia spiritualis. *Sapientia theoria quædam est, & verbi Dei cognitio speculativa, cujus beneficio, quid nos in rebus ad fidem pertinentibus scire oportet, novimus, qua mentis ignorantia expellitur, & vera DEI verbique ejus cognitione, cum reverentia in DEum mens imbuitur. Prudentia est, qua quis sapientiâ præditus, si quid vel in doctrina vel moribus proponitur, prudenter se gerit, cujus beneficio heterodoxias declinat, & vitam ad normam præscripti divini inter homines agens, prudenter instituit.* Nominat *hanc* sapientiam & prudentiam spiritualem: *tum ratione objecti, seu rerum circa quas occupantur, quæ spirituales sunt: tum modi revelationis, quia ad utramque non nisi Spiritus directione perve-*

pervenimus, animalis siquidem homo non percipit illa quæ sunt Dei, 1. Cor. 2. 14. II. Vitæ sanctæ studium. Ut ambuletis digne Domino, ita ut per omnia ei placeatis, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in cognitione Dei, *ut vitæ innocentia professionem suam ornent. Quod ut effectus ex cognitione Dei promanat, qui enim Deum cognovit, is etiam ad voluntatem Dei vitam componit, ita se gerit, ut Christianum decet, quod si facit fructificat, hunc inde fructum deportat, ut in cognitione Dei magis magisq; proficiat.* III. Donum perseverantiæ. Omni robore roborati. *Quoniam in Christianis non principia, sed exitus meritò spectantur, nec is qui rectè credere & vivere cœpit, sed qui desinit, salvatur, Apostolus ut constanter in Dei cognitione & vitæ sanctimonia perseverent, precatur.* Secundum potentiam gloriæ ipsius. *Summa est carnis nostræ imbecillitas, validissimi contrà sunt, Mundi, Carnis, Satanæ arietes, quibus facilè illa, quæ nobis est Dei cognitio, & vitæ sanctimonia, expugnari potest. Ne igitur superentur ab his, precatur, ut Deus gloriosâ suâ potentiâ illis opituletur. Quod si fit, in periculis gravioribis tolerantia, in levioribus animi lenitas, Spirituali mista gaudio, in fidelibus deprehendetur. Quod verbis ultimis vers. 11.* ad omnem tollerantiam & animi lenitatem cum gaudio, *Paulus indicavit.*

Compendiosa doctrinæ Evangelicæ expositio, *breviter totum salutis negotium exponit. Salvos nos fieri solo Christi merito, quem ex pura puta misericordia Deus nobis mittere voluit, quiq; pace factâ per sanguinem suum, reconciliavit omnia, quæ sunt in cœlo & in terra, cujus beneficiorum participes reddimur, si fide apprehenderimus, & in illa usq; ad vitæ finem perstiterimus.*

Agens autem Apostolus de negotio salutis humanæ, Exponit 1. Causam ejus efficientem Principem. 2. causam meritoriam. 3. Causam finalem. 4. Causam instrumentalem.

Efficiens salutis nostræ causa princeps est, Gratia & Misericordia Dei patris, *qua ad hæreditatem Cœlestem electi, ex regno tenebrarum erepti, & ad vitam æternam participandum idonei facti sumus.* Gratias agentes Deo patri, quod idoneos nos fecit ad partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos è potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij sui dilecti. *Dixerat in Exordio Apostolus, se Deo gratias agere pro Colossensibus, quod ad fidem Christianam essent producti, nunc se quoque propterea Deo gratias agere ait, quod hoc, quo exponet pacto, salutem hominum procurare voluerit.* Notentur *autem* in hoc primo Duo. Salutis efficiens & salutis ratio. Efficiens *est Dei patris gratuita bonitas, & misericordia, cui alias salus nostra in sacris ascribitur sæpissimè. Vide Joh. 3. 16. Rom. 3. 24. Eph. 1. 9. c. 2. 4. Tit. 3. 4. 2. Timoth. 1, 9. 1. Joh. 3. 1. & c. 4. 15. & alibi.*

Salutis ratio, *Ita ille nos salvat*, ut idoneos faciat ad participationem sortis sanctorum in lumine. *Ex nobis ipsis indigni eramus vitâ æternâ, abalienati â vita æterna, extorres regni cœlestis, sed DEUS ex indignis dignos, ex inidoneis idoneos fecit, quod fit vocando, justificando, & ejus beneficio ad participandam sortem sanctorum in lumine perducti sumus.* Nominat *autem* hæreditatem *cœlestem, ad cujus participationem â Deo perducimur*, sortem sanctorum: *qua locutione respexisse videtur ad partitionem terræ Canaan, quæ sorte facta, & per quam sua cuique tribui portio cessit; ita nos Deus ad vitæ cœlestis possessionem, quasi ad hæreditatem,*

tatem, quam omnes sancti adeunt, perduxit. Et cùm haberet populus judaicus, in partitione terræ promissæ, suam quæq; tribus sortem & hæreditatem, itaq; ibidem plures erant sortes: verùm quia cælestis hæreditas una eaq; omnibus sanctis communis futura est, non in plurali sortes, sed sortem sanctorum, Paulus dixit, eamq; in lumine, *quia in illa omnes illæ de Deo rebusq; divinis tenebræ, quibus in regno Satanæ viventes implicantur, planè dispelluntur, & lux cognitionis Dei, mentes eorum quos Deus idoneos fecit illuminabit.* Exponit *porrò* hanc salutis rationem, quod in duobus consistat. 1. in Ereptione ex potestate tenebrarum. Eramus nos sub Satanæ imperio, *& densissimæ tenebræ intellectum & voluntatem nostram obfuscabant; ex his nos Deus eripuit validâ suâ potentiâ, principe tenebrarũ fortior, ut â tenebris ignorantiæ, peccatorũ, & interni interitus simꝰ liberati.* 2. In translatione in regnum filij Dei. Et translati sumus ad hæreditatem cœlestem, *quam regnum filij nominat, quia jure hæreditario ipsi debebatur, & nos in ejus participationem sortis sumus admissi, facti hæredes Dei, & cohæredes JEsu Christi, Rom 8. versu 17.*

Dum de causa salutis meritoria agit, primo *rem* proponit. secundo per ἐξήγησιν eandem exponit. In rei propositione *docet Christum esse causam salutis meritoriam, qui nos redemit sanguinem suum profundendo.* Partes *ejus sunt* tres. Primò quis nos redemerit. 2 Quomodo simus redempti. 3. In quo redemptio consistat. Quinos redemit *est* Jesus Christus Dei filius. In quo. *Dixerat antè nos translatos esse in regnum filij Dei, in hoc redemptionem habemus: qui est agnus ille Dei, tollens peccata mundi. Joh. 1. 29. in quem conjecit cælestis pater omnium nostrum iniquitates Jes. 53. Redemptio illa facta est sanguinis fusione. Habemus redemptionem* per sanguinẽ ipsiꝰ.

Cum omnis redemptio fiat, vel satisfactione, vel ereptione vi potentioris, liberantis ex potestate ejus, qui ante captivum aliquem tenebat: Utraq; illa liberandi ratio, in nostra redemptione per Christum facta, concurrit: patri cœlesti pro nostris peccatis satis fecit, non aliqua certa pecuniæ summâ numeratâ, sed sanguine suo, quem in ara crucis copiosissimè profudit, quo etiam referendæ est, omnis illa quæ mortem antegressa est, patri præstita obedientia, quâ se illi submisit ad mortem, mortem autem crucis, quæ colophon omnium quæ pro nobis Christus passus est. Et hujus liberandi modi hic meminit Apostolus, ut alterius illius mentio apud Ose. 13.14. Colos. 2.15. Consistit redemptio, *in peccatorum remissione.* Peccatorum remissionem. *Sicut & Apostolus Rom. 4.7. ex Psal. 32.1. beatos nominat, quorum sunt remissæ iniquitates, & quorum sunt obtecta peccata. Non est autem hæc peccatorum remissio, totalis eorundem deletio, ut planè in nobis reliquum de iis nihil maneat, sed est Dei indulgentia, peccata ad damnationem non imputantis, ita ut nihil condemnationis sit in illis, qui sunt in Christo Jesu, Rom. 8.1.*

In propositionis ἐκθέσει. Primo, illum per quem redempti sumus, Jesum Christum, describit, *idq;* 1. à Personâ. 2. âb Officio. Persona. *Ut illum* hominem *esse indicavit, dum eum sanguinem, redimendo homines, fudisse ait, ita nunc* Deum *illum esse* probat. 1. Ab Essentiæ *cum Deo patre identitate.* Qui est imago Dei invisibilis. *Imago alterius cujusdã rei repræsentatio est, & vel rei accidens seu qualitatem, vel ejusdem substantiam repræsentat. Sic illa dicitur esse imago Pauli, quæ exteriorem ejus faciem, & lineamenta in picturâ repræsentat: Sic sermo cogitationum mentis idea & imago dici potest. Ita homo ad imaginem Dei conditus, quia in illo eluceſcebant*

quædam

quædam attributa divina, & creatorem suum Sapientia, Sanctitate, Integritate referebat. Alia est ratio imaginis substantiam repræsentantis, tum & imago, & id cujus est imago, ejusdem sunt essentiæ. Ita Seth dicitur imago patris sui Adam, quia verus homo ut Adam, cui quoad Substantiam & essentiam similis natus erat Gen. 5. 3. Ita Christus imago Dei essentialis, ejusdem cum patre substantiæ, splendor, gloriæ, & character ὑποστάσεως Patris. Heb. 1. 3.

II. Ab æterna ejus generatione. Primogenitus omnis creaturæ. Quia ante omnes creaturas genitus, & ab æterno à patre; & proin inter creaturas, quæ in tempore esse cœperunt, non numerandus. Quare & in principio creationis quando creaturæ esse incipiebant, ille jam erat. Joh. 1. 1. & quod non sit creatura, sicut Arius volebat, Apostolus indicare voluisse videtur, dum eum non πρωτόκτισον primam creaturam, sed πρωτότοκον πάσης κτίσεως, hoc est ut rectè Scholia græca explicant. πρὸ πάσης κτίσεως πρωτότοκος καὶ μονογενῶς γεννηθεὶς. Et quoniam ante creaturarum creationem pura æternitas, hic ante creaturas genitus Dei filius, æternus cum æterno patre DEus. Quin & primogenitus omnis creaturæ, non tantum propterea, quod ante omnes creaturas ex essentia patris genitus, sed etiam propter jus primogenituræ. Primogeniti siquidem patri in bonis succedebant, & fratrum erant Domini. Ita & Christo jure hæreditario cœlestis debetur hæreditas, in cujus consortium nos adoptati. Ita ille inter multos fratres primogenitus. Rom. 8. 29. dicitur. Illorumque simul Dominus, Rex, Princeps. Sic David Ps. 89. 28. regum primogenitus, i. e. regum omnium glorioſissimus. Esa. 14. 30. primogeniti pauperum, quasi pauperum primarij, & veluti duces. Sic hoc capite vers. 18. Christus mortuorum primogeni-

mogenitus dicitur. h.e, Dominus mortuorum aliquando excitandorum.

III. Ab ejus omnipotentiâ. *Quoniam per ipsum condita sunt omnia. Creatio rerum omnium, solius Dei opus Jer.10. 11. Infinitæ potentiæ est ex nihilo producere omnia, hæc per Christum quia facta sunt, illum Deum esse probant.* Dividit *autem* Creaturas *secundum receptacula sua in quibus agunt; ut sint* vel in cœlo vel in terra; *post easdem in duas classes* subdistinguit, *ut aliæ sint* visibiles *aliæ* invisibiles. *Et illa* classis posterior vicissim dividitur, in Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates. *Omnia hæc per Christum.* Quæ In cœlis, & quæ in terra; visibilia & invisibilia, sive throni, sive Dominationes, sive principatus, sive potestates. *Posterioribus hisce verbis, Angelos denotari dubium non est, (non nego tamen inveniri, qui hæc intelligunt de omnibus imperiis, & ordine creaturarum, politiarum, oeconomiarum, conjugii, legum, gubernationum, deniq; in cœlo & in terra: verum quia hæc expositio paucorũ & contorta est, & prior textui cõvenientior, quia solum Christum ut Angelorum quoq; creatorem, non Angelos colendos esse, quod sibi contra pseudodoctores proposuerat Apostolus, probat) & quamvis inter eosdem ordinem quoq; concedamus, tamen ut nobis cum Dyonisio & Scholasticis illos distincte explicandos sumamus, id, non habentes scripturam præeuntem, non attentamus.*

IV. Ex fine rerum creatarum. Omnia in eum condita sunt: *ad solius Dei gloriam omnia sunt condita Prov. 16.4. & Rom.c.11.v.36. quoniam igitur Christus omnia in eum finem creavit, ut ipse celebretur & glorificetur, quis hinc ejus divinitatem rectè colligi negabit?*

V. Ex

V. Ex rerum omnium sustentatione, *quam Christo cum repetita æternitate concedit.* Et ipse est ante omnia, & omnia per ipsum consistunt. *Sic & in Epi. ad Hebr. 1. 3. portat omnia verbo virtutis. Joh. 5. 17. Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Quare cum & hoc verè divinum sustentationis & providentiæ universalis opus de Christo dicatur, nec dubitari potest eum Deum esse.*

Secundo ab officio. *Et* sic Christum nominat. I. Caput Ecclesiæ. Et ipse est caput corporis Ecclesiæ. *Ut enim caput per junctura reliquo corpori connectitur, ita Christus θεάνθρωπος arcano Spiritus vinculo, cum Ecclesia, corpore suo mystico, copulatur, cujus & ille, ut corporis, caput curam gerit. Sicut â capite per nervos Spiritus animalis in totum corpus descendit, ipsi motum impertiens, ita â capite Christo nos Spiritum nanciscimur, ut qui alias mortui sumus in peccatis, vivamus Deo, & fructus Spiritus edamus. Sicut caput reliquo præest corpori: ita Christus corpori Ecclesiæ, in quo tanquam Rex præsidet, suos adversus omnium hostium insultus defendens, cui &, qui Christum agnoscunt Dominum, in Sanctitate & Justitia serviunt omnibus diebus vitæ suæ.*

II. Principium. Ipse est principium. *Non tantum caput & Rex est Ecclesiæ, sed & ejusdem principium, ex quo ortum suum illa habet, quam ille sibi sanguine suo acquisivit; cujus vis & efficacia, ut ab initio mundi fuit Apoc. 13. 8. ita etiam per eum ab initio collecta est Ecclesia. Alii vocem hanc principium ἀρχὴν positam esse volunt, pro ἀπαρχὴ primitiæ, sicut Christus, 1. Cor. 15. 20. primitia dormientium dicitur. Et tum illã conjungunt cum sequentibus, primogenit⁹ ex mortuis. Ut Christus sit primitiæ illorum qui ex mortuis resurgunt, in quo sicut in primitiis frugũ oẽs fruct⁹ sanctificabãtur: ita nos in ipso qui nostræ resurrect. causa.*

Dicitur

Dicitur autem Christus primogenitus ex mortuis, non quod primus sit, qui ex mortuis resurrexit, nam & ante ipsum multi e mortui, postliminio ad vitam sunt reducti. Sed primogenitus, tum, quia propria virtute surrexit, tum quia nostræ resurrectionis causa, sicut primogenito dominium & regnum debetur: ita & Christo, qui nos hujus particeps facit. &c. vide paulo ante ad versiculum 13. dicta.

III. In omnibus primatum tenens. Ut sit in omnibus ipse primatum tenens. *Quoniam Christus Ecclesiæ caput, quæ & ipsius sanguine fundata, ejus resurrectione virtute, â mortuis aliquando resurget, ipse etiam meritò πρωτεύει principatum in omnes tenet, tanquam Rex imperitat, & potenter regit, ab omnibus tanquam princeps agnoscendus & Colendus.* Rationem addit *cur Christum in omnibus primatum habere deceat.* Quoniam in eo placuit *(Patri)* ut omnis plenitudo in ipso inhabitaret. *Meritò homini Christo primatus debetur, quoniam pater in illum plenitudinem omnem conferre (quænam sit hæc plenitudo, & secundum quam naturam patri placuerit, ut in Christo hæc inhabitaret, cap. seqq. vers. 9. plenè dicetur) voluit, ut ex hoc uberrimo fonte omnium bonorũ, omnia ea, quibus egent, hauriant, quare & primatum verè tenet, utpote de plenitudine sua omnibus impertiens. Quare qui extra hunc Christum, in quo plenitudo omnis, salutem & justitiam quæsiverit, is fruſtrà quæret, & relicto fonte uberrimo aridas sisternas sectatur.* Finis hujus concessæ plenitudinis est. Et per ipsum reconciliare omnia in ipsum. *Propterea hic homo Christus illam adeptus est plenitudinem, ut lapsum humanum genus vicissim per hunc reconciliaretur Deo. Offensus Deus pater, in gratiam cum hoc rediret, illo infinitæ justitiæ satisfaciente, in quo finita*

& omnis

& omnis plenitudo inveniatur. Non enim purus homo hanc offensam tollere, & in gratiam hominem cum Deo reducere potuit, antequam justitiæ ejus infinitæ satisfactum. Verbum ἀποκαταλλαξαι significat pristinam amicitiam, interveniente aliqua offensione scissam resarcire, partes dissentientes in gratiam, fonte dissensionis sublato, reducere. Id â solo Christo factum est, qui se medium inter nos & Deum stitit, peccatum quod inter nos & inter Deum nostrum dividit, sustulit, homini DEum reconciliavit.

Secundo *in propositionis ἐνθέσει, reconciliationis modum exprimit.* Pace facta per sanguinem crucis ejus per ipsum. *Christus, dum in ara crucis sanguinem antilytron fudit pro hominem peccatis, pater eum acceptavit: homini peccata remisit, ita ut litis seminibus sublatis, pax vicissim inter Deum & hominem, propter Christum victimam immolatam, cojerit. Estq; hujus pacificationis tanta latitudo, ut se ad omnia in cœlis & terrâ extendat,* Sive quæ in terra, sive quæ in cœlis. *omnes creaturæ rationales Deo ante lapsum erant unitæ, sed per lapsum Angelorum, Diaboli, hominum homines, â Deo sunt avulsi. Christum vicissim pacem fecisse ait, non quidem Diabolorum cum Deo, de his enim in sacris ne verbum ullum; sed Angelorum bonorum: ita, non ut eos qui nunquam ex gratia exciderant, in gratiam reduceret, sed ut illos sub unum caput, se puta, referret. Est enim non solum hominum sed & Angelorum caput, itaque omnes Angeli & homines sub eodem sunt capite, & suo singuli modo reconciliati, nec hominum excluditur quisquam, qui ratione acquisitionis in Christo habet reconciliationem, licet ejusdem actualis possessio non detur nisi illis, qui hæc fide sua faciunt, sibique applicant.*

Tertio Thesin ad hypothesin transfert. Illa quæ per Christum sunt acquisita omnibus Colossensibus applicando. *Ut autem quæ per Christum sunt consecuti bona, tanto perpendant rectius,* geminum *ipsorum* statum. Illum in quo ante vixerunt, & eum in quo nunc vivunt, inter se confert. *Antequam illis, per Evangelium â Christo peracta reconciliatio innotuit, ait eos* â Deo abalienatos, ejusq; inimicos fuisse. Et vos quondam abalienatos, & hostes mente; *Illa est omnium hominum ante conversionem ratio, ut propter peccata, quæ inter nos & inter Deum nostrum dividunt, Es. 5. 9. â Deo sint alienati, eumq;, quem summè diligere debebant, tanquam summum bonum, oderint, & mente aversentur, sanam de ipso doctrinam respuendo; & voluntatem ejus mandatis obluctando.* Hanc *â Deo* abalienationem & inimicitiam ab effectis, *hujus causæ testibus,* commonstrat. In operibus malis. *Opera siquidem illorum, testes fuere aversæ ipsorum â Deo mentis & voluntatis. Quisquis enim Deum diligit, ad præscriptum & voluntatem ejus, vitam & actiones componit: quare qui pravis operibus Deo obluctatur, sibi luculentum perhibet testimonium, se odisse DEum, cujus præcepta factis contemnit.* Postquam *autem per Evangelij prædicationem* ad fidem sunt perducti, *Deus illos reconciliavit.* Nunc sanè reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, *quod de participatione reconciliationis intelligatur, hujus enim participes simus, quando illi, qui nos reconciliavit Christo, fide inserimur. Hic nos Deo reconciliavit, dum carnem suam pro nobis in mortem dedit, & peccata humani generis expiavit.*

Finem, *cur nos Deus salvarit, & sibi per mortem filij sui reconci-*

reconciliarit, ait esse, ut coram Deo sistamur sancti, immaculati, & irreprehensibiles. *Ut sisteret vos sanctos, irreprehensibiles, & inculpatos, in conspectu suo. Non enim propterea Christus nobis salutem acquisivit, & nos Deo reconciliavit, ut nequitiæ frena laxaremus, & in omnem malitiam præcipites rueremus; sed ut vitæ sanctæ studeremus, & coram Deo sancti, inculpati, irreprehensibilesque inveniremur. Non quasi illam vitæ sanctimoniam præstare possimus, quæ in conspectu Dei posita, reprehendi & culpari non possit: Sic enim justitia nostra est instar panni menstruati. Esa. 64. 6. & cum Davide precari necesse habemus, ne Deus intret nobiscum in judicium suum, Psal. 143. 2. Ibidemq; rigidè nostra examinet opera, quæ propter imperfectionem, non nisi culpam & reprehensionē merentur. Sed nos, inchoatam quamvis, imperfectamque habentes justitiam, sancti, inculpati, irreprehensibiles dicimur esse, in conspectu Dei, propter Christi perfectam sanctitatem, quæ nobis imputatur, & nostra fit fide, ut ita nihil sit reprehensionis in illis qui sunt in Christo Jesu, Roman. 8. versu. 1.*

Causas salutis instrumentales recenset tres. Fidem, Evangelium, & verbi Doctores. *De fide ait,* Siquidem manetis in fide fundati & stabiles, *Quamvis â Christo in arâ crucis facta sit reconciliatio, nequaquam tamen illius participes reddimini, nisi fide illam apprehenderitis, vobisq; applicaveritis. hæc siquidem manus illa est, quæ acceptat â CHRISTO parta bona. Quoniam autem fides tempora non salvat, sed ea solum, quæ firmiter apprehendens CHRISTUM, illum sibi abripi non patiatur, addit Paulus, illos tum participes futuros reconciliationis, si in fide*

fundati fuerint, & stabiles permanserint. ὑπὸ τοῦ εὐαγγελίου *siquidem parum proderit credere cœpisse, & deficere, sed qui ad finem usque perstiterit salvus erit: quæ verbis manere, fundati, & stabiles Apostolus indicat.*

Secundo, *quia ex auditu fides. Rom.* 10. 17. huic adjungit Evangelium *ex cujus præconio fidem conceperunt.* Nec dimovemini â spe Evangelii quod audivistis. *Sicut ex parte hominum, fides manus est apprehendens bona â Christo acquisita: Sic ex parte Dei, Evangeli concio est manus illa, hæc bona offerens; hanc illos repellere non oportet, siquidem reconciliatione â Christo facta frui velint; ab hoc igitur Evangelio, & spe salutis, quam Evangelium prædicat, dimoveri se ne patiantur, & firmiter sperent æternam salutem in Evangelio annunciatam.*

De hoc Evangelio Apostolus asserit. Prædicatum id esse omni Creaturæ quæ sub cœlo est. *Non enim angustiis Judææ & Palestinæ finibus illud, sicut ante includebatur: sed longè latèq; disseminabatur, & gentibus quibuscunq; extra Judæam viventibus, prædicabatur. sicut Christus assensurus cœlos, suis injunxerat discipulis, ut exirent in omnem terram & prædicarent Evangelium omni Creaturæ Marc.* 16. 15. *Quo mandato ut morigeros discipulos decet, eos audientes fuisse, non dubitamus, cum hic Apostolus testimonium ipsorum diligentiæ perhibeat, quod omni Creaturæ, quæ sub cœlo est Evangelium sit prædicatum; licet per quos, quando, & quomodo, omnibus annunciatum sit exponere non possimus. Et Lactantius de sua ætate, quâ ipse vixit lib.* 5. *cap.* 15. *ait, quod ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, & gens & regio unitis ac paribus animis Deo serviat. Et Hieron. in Cap. Matt.* 24. *Non puto (inquit) aliquam remansisse gentem, quæ Christi*

nomen

nomen ignoret: & quamquam non habuerint prædicatorem, tamen ex vicinis nationibus opinionem fidei non potest ignorare. Vide huc meas notas biblicas.

Tertio. *Quia Evangelium, ex cujus præconio fides, ministerio Ecclesiæ Doctorum ad nos defertur, illud etiam ab Epaphra Philippenses accepisse affirmat, quod & ipse Apostolus aliis gentibus prædicavit.* Cujus factus sum ego Paulus minister. *Quibus autoritatem conciliat Epaphræ concionibus, qui illis apostolicum, nec aliud quam cujus Apostolus factus erat minister, annunciavit. Vox enim verorum Ecclesiæ Doctorum est vox Apostolorum, & eadem utrorumque concio.*

Quarta capitis pars, *quæ est de vinculis ac Apostolatu,* bimembris est. Primo de afflictionibus suis, post de Apostolatu suo agit. De afflictionibus suis duo *affirmat.* 1. Læto se illos ferre animo. 2. Causas indicat, cur læto animo afflictiones toleret. De primo. Nunc gaudio in afflictionibus meis. *Quia Colossenses, qui nuper ad Evangelij cognitionem pervenerunt, Apostoli vinculis, in quæ propter Evangelij confessionem conjectus erat, turbari, & propter afflictiones, quæ hanc confessionem sequuntur, resilire poterant, hoc antevertit Apostolus. asserendo, tantum abesse ut propter vincula, in quibus detinebatur, contristaretur, ut potius lætitiam ex illis perciperet, qui hoc pacto Colossenses animaret, ut fortiter omnia pro Evangelio ferrent.* Causarum *quapropter læto animo afflictiones omnes perfert,* prima est, *Philippensium ad Ecclesiam accessus.* Pro vobis, *ut supra vers. 3. 4. 5. gratias se Deo agere dixit pro Philippensium fide, Charitate, & spe; ita se nunc in vinculis gaudere ait, quod & ipsi doctrinam de Christo sint amplexi, quod ubi intellexit, præ gaudio vinculorum adversa*

contempsit. Secunda, *quia afflictiones illæ sunt afflictionum Christi* ὑστερήματα. Adimpleo ea quæ desunt afflictionibus Christi in carne mea. *Hoc ipso enim, dum patitur, socius fit afflictionum Christi, ut postea cum eodem gloriæ particeps reddatur. Quæ spe omnia adversa superat. Duplices autem sunt Christi Passiones, quædam quas sustinuit in naturali suo corpore; quædam, quas sustinet in corpore suo Mystico Ecclesia. Act. 9. 5. priores non indigent supplemento, sed sunt perfectissimæ, atq; infinitæ, illisque reconciliatus est Deus. Hæ vero nondum sunt consummatæ, quamdiu enim in terris sunt pii, tantisper aliquid deest afflictionibus mystici corporis, cui, ut calcaneo, quo terræ insistit Salvator, insectatur infernalis serpens, donec cum capite suo glorioso conjungantur. Has ut Christi membrum Paulus quoq; perfert, & læto quidem animo spe subsequuturæ gloriæ. Vide huc meas notas.*

Tertia Ecclesiæ salus. Pro corpore ejus quod est Ecclesia. *Ideo læto animo patitur, ut Ecclesiam, quæ Christi corpus, in doctrina confirmet, & suo exemplo ad adversa fortiter ferenda animet.*

Apostolatum suum *(de quo agit, occasione sumpta ex illis quæ dixerat, de afflictionibus suis, quas patiebatur pro Ecclesia)* commendat primò à vocantis ad eum dignitate. Cujus *(Ecclesiæ)* factus sum minister, secundum dispensationem Dei, quæ data est mihi erga vos. *Servire se Deo in colligenda Ecclesia ait, cui ex singulari dispensatione placuit Apostolum ad Evangelii Ministerium gentibus annunciendum adhibere, sicut & ex Act. 9. v. 15. patet.*

Secundo, à vocationis ad eum fine. ad implendum sermonem Dei. *Finis vocationis ad Apostolatum est, ut di-*

ut diligenter Evangelium prædicet, & ad mortem usque fideliter propaget.

Tertiò, à Doctrina quam in Apostolatu prædicabat, de qua tria. Primò ejus antiquitatem & excellentiam *indicat*. Mysterium reconditum à seculis & generationibus. *Non est doctrina quam Apostolus annunciavit, humani ingenii, quamvis acutissimi, inventum, sed mysterium humanæ rationi incognitum, quam filius qui est in sinu patris annunciavit, Joh. 1. 18. & licet temporibus Christi adventum antecedentibus hujus doctrinæ quædam judæis concessa fuerit notitia, tamen sub obscuris typorum, sacrificiorum, ceremoniarum involucris, eam habuerunt, ut si collatio instituatur temporis, quod Christi adventum in carnem præcessit, cum eo quod subsequutum est, eadem doctrina non malè primis temporibus Mysterium dicitur, illisq; candelæ lux fuit, quæ post Christi ascensionem ad cœlos, clarum solis jubar.*

Deinde quibus hæc doctrina sit manifestata exponit. Nunc autem patefactum est sanctis ejus, quibus voluit Deus notum facere. *Acceperant Apostoli mandatum omnibus hominibus hanc doctrinam prædicandi, erantq; ipsi fideliter exsequuti id, quod in mandatis acceperant, ut Apostolus dixerit, prædicatum esse Evangelium omni Creaturæ, quæ sub cœlo est. vers. 23. hujus capitis. Hic autem dum illud sanctis patefactum esse dicit, quibus Deus id notum facere voluit, patefactionem cum acceptatione conjungit, & solis sanctis, in quibus DEus efficaciter assensum per verbum operatus est, illud manifestum esse asserit, cum nec illis alias occultatum fuerit verbum, quibus id est odor mortis ad mortem.*

Tertio quæ sit ejus summa, explicat. Quæ sint divitiæ

vitiæ gloriæ *(glorioſi)* myſterii hujus inter gentes. *quosnam theſauros & divitias in gentes quoq; erogaverit Deus concionibus ſuis expoſuit. Addit per ἐξηγήσιν, quænam ſint illæ in Evangelio oblatæ divitiæ.* Qui eſt Chriſtus in vobis, ſpes illa gloriæ, quem nos prædicamus. *Chriſtus eſt ille theſaurus qui in Evangelio offertur, ejusq; objectum, in quo ſperamus nos æternam gloriam conſequuturos, quam ille nobis acquiſivit, & ob cujus meritum fide apprehenſum, certi ſumus nos eandem aliquando adepturos.*

IV. A prædicationis Apoſtolicæ modo, *cujus* partes *ſtatuit* duas. Admonitionem & Inſtructionem. Admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni Sapientia. *Eo pacto doctrinam ſuam propoſuit, ut ſedulo adhortatus fuerit omnes ad eam acceptandam, & aſſenſum ipſi præbendum; ſimul ſumma ejus capita expoſuit, & omnem ad ſalutem neceſſariam ſapientiam docuit.*

V. A prædicationis fine, *qui eſt hominum ſalus, quam fideliter procuravit,* tum *docendo.* Ut ſiſtamus omnem hominem perfectum in Chriſto Jeſu. *Ea propter doctrinam Evangelicam fideliter & magno ſtudio propoſuit, ut hac imbuti, perfecti coram Deo compareamus, perfectione Chriſti imputatâ, & fide apprehenſâ inſignes.* Tum *patienter crucem & adverſa tolerando.* In quod etiam laboro, decertans juxta efficaciam ejus, operantem per me potenter. *Summâ conſtantiâ ad hunc finem collimat Apoſtolus, ut hominum ſalutem concionibus ſuis procuret: & adverſa quæ pati ob hæc cogitur, fortiter ſuperat, nec id ſine fructu; Deo efficaciter per ipſius præconium operante, & virtutem prædicato verbo largiente.*

CA-

CAPUT SECUNDUM.

Quarta Epistolæ pars hoc capite incipit, & desinit. in qua Apostolus se opponit illis, qui vel per argutias Philosophicas, vel leges Mosaicas, ritus, & humanas traditiones, Colossenses abducere â Christo annitebantur, hos ne audiant, nec ullis se impostoris â Christo abduci sinant, hortatur.

Partes Capitis *sunt* quatuor. Exordium. Propositio. Confirmatio. & Conclusio. Exordium *ad versiculum se extendit Octavum.* Propositio *versu continetur octavo.* Confirmatio *versibus ab octavo usq; ad 16. includitur.* Conclusio *â 16. incipit, & ad capitis finem extenditur.*

Exordio *animos sibi Colossensium devincit, asserendo se absentes, & de facie ignotos summè diligere, idq; unicè optare, ut in Doctrina de Christo, quam acceperant, proficiant, & perseverent.*

Exordium *autem* constat propositione, Confirmatione, tacita objectionis dilutione, & Conclusione. Propositio exordii. Volo enim vos scire quantum certamen sustineam pro vobis, & eis qui sunt Laodiceæ, & quotquot non viderunt faciem meam in carne. *Dixerat sub finem capitis præcedentis Apostolus, se adversa patienter ferre, ut & his Ecclesiæ salutem procuret. Quoniam autem Colossenses ipse non informaverat, & ii arbitrari possent, nullâ sui curâ tangi Apostolum, non se pro his minus, quos ipse non informarat, quàm pro illis, qui prædicantem audiverant, adversa fortiter superare; id eos noviſſe vult, tum ut & ipsi, siquid adversi propter doctrinam, quam acceperant, perpeti necesse habeant, magno animo tolerarent. Conjungit Colossensibus Laodicæos, quia Laodice-*

dicæa Coloſſis vicina civitas, utraq; ad Lycum in Phrygia Pacatiana poſita erat, & omnes quos de facie non viderat; non enim ipſe præſens ipſorum in doctrina Evangelii & acceptanda, & defendenda, fervorem perſpexerat, quos ut ſingulos conſtantia ſuâ animaret, ſe & illorum cauſa ſuperare carceris & adverſitatum incommoda aſſerit.

In confirmatione, cauſas recitat, *cur nunquam viſas Eccleſias amore complectatur, & certamina pro iis ſuſtineat.* Harum prima, *ut conſolationem percipiant.* Ut corda conſolentur. *Summam conſolationem inde percipiebant Coloſſenſes: hæc ſiquidem certaminum pro illis quoq; ſuſceptorum perpeſſio, ipſis indicio eſſe potuit. 1. Se nec ab Apoſtolo negligi, ſed amari, 2. Veram eſſe illam, quam ab Epaphra acceperant doctrinam, falſamque eam, quam pſeudo Apoſtoli illis obtrudere volebant.* Addit *ſimul* ſubjecti, *quod hanc conſolationem admittit,* determinationem. *Non enim omnium corda ſpirituales conſolationes admittunt, qualia ſunt illorum, qui perpetuarum contentionum ſerram trahunt, & mutua odia alunt, his perpetui ſunt animorum cruciatus. Quare dicit,* ut conſolentur corda illorum compactorum in charitate, *quæ vero & ſincero amore Chriſtiano ſunt inter ſe conglutinati, hocq; probant, ſe fide capiti ſuo connexa, & inter ſe invicem firmiter compacta eſſe.*

Secunda, *ut in doctrinæ Evangelicæ cognitione magis magisq; proficiant.* Et in omnem opulentiam certæ perſuaſionis intelligentiæ in agnitione myſterii Dei, & Patris, & Chriſti. *Ut certiorem plenioremq; Evangelij cognitionem percipiant, & abundantem certitudinem ejus, quam didicerant, doctrinæ nanciſcantur. Nominat autem Doctrinam Evangelij,*

cujus

cujus adipisci debebant cognitionem, per appositionem, mysterium Dei & Patris & Christi. *Sunt enim illa, quæ in Evangelio proponuntur, humanæ rationi incognita, nec nisi ex Spiritus Sancti revelatione percipiuntur, & nobis patris cœlestis benevolam, in Christo declaratam voluntatem, aperiunt.* In quo *(Christo puta, cujus ultimo meminit)* omnes thesauri sapientiæ & scientiæ reconditi sunt; *In Christo, qui Evangelij scopus & objectum unicum, inexhausti illi sapientiæ & scientiæ thesauri sunt repositi, hunc nos adire, & ex eo tanquam thesauro inexhausto, quidquid est ad salutem necessariæ scientiæ, depromere oportet. Quisquis igitur salvari voluerit, hunc adeat: Quæ de ejus personâ & officio in sacris dicuntur, perdiscat: Ejus obœdientiam, quam & legis præcepta implendo, & justitiæ divinæ in ara crucis satisfaciendo, præstitit; & quæ hisce acquisivit bona perpendat. Quæ si didicerit & verâ fide suâ fecerit, summam scientiam & quicquid ad salutem necessarium est, possidet, nec ullis præterea aliis rebus indiget.*

Causam *hujus Enunciati exponit, cur in Christo omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos esse dixerit:* Hoc autem dico, ne vobis quis imponat, sermonis probabilitate. *In solius Christi cognitione acquiescant, nec extra eum quidquam tanquam ad salutem necessarium quærant: Caveant sibi, nec ullis, quamvis in speciem probabilibus, & ad persvadendum compositis verbis, se à Christo dimoveri, aliave cum eodem conjungi, ut ad salutem necessaria, patiantur: Non enim est in alio salus, nec aliud nomen, in quo nos salvari oporteat. Actorum cap. 4. vers. 12.*

Et in ipso solo omnes Sapientiæ thesauri sunt reconditi. Hæque πιθανολογίαι, nil nisi Paralogismi sunt, quum rationi videantur verum concludere, falsum tamen colligunt, & colore, quem habent, probabilitatis, imperitos decipiunt. Sunt etenim ut Æschylus in Promotheo ait νόσημα ἄιχιστον σύνδετοι λόγοι.

In tacitæ objectionis dilutione respondet *ad illa, quæ Colossenses obtendere poterant, cur Apostolus admoneret, ne sibi imponi paterentur, cum tamen, ut qui nunquam Ecclesiæ Colossensis statum coràm cognoverat, ignoraret, inveniri in eâ deceptores, qui illud unguem attentarant.* Diluit hanc objectionem præsentiæ distinctione: *Quamvis enim præsentia corporis absit, illa tamen quæ animi & cordis est, ipsis adest, absentiam & remotorum curam agens, spirituq; illarum Ecclesiarum statum* gaudens cernit, illorum ordinem & stabilitatem in Christum fidei. *Ne igitur illorum ordo concinnus, in morum disciplina positus, per πιθανολογίας turbetur, & fidei stabilitas, quæ Christo salutis fundamento innitebatur, concuteretur, necessarium esse duxit, eos admonere, ut viderent, ne ἀπιστία induceretur, & aliud fundamentum præter Christum poni paterentur.*

In Exordij conclusione *adhortatur, ut in doctrina quam ab Epaphra acceperant, perseverent, & crescant.* Observentur hic tria. Quomodo *debeant in doctrinâ, quam edocti erant, perseverare.* Tribus id docet similibus. 1. *Si instar viatorum rectam viam ingressorum, in eâ pergant.* Sicut ergò accepistis Jesum Christum Dominum, ità in eo ambulate. *Sicut incepistis ingredi veram Christianismi viam, ita porrò illam decurrite, à recto tramite non deflectendo, & vitam ad Christi præscriptum agendo.* 2. *Si instar ramorum, stipiti seu trun-*

co cui

eo cui inserti sunt, adhæserint, & ex illo succum attraxerint. radicati. *Christus radix est, ipsi rami, huic inserti sunt fideli Epaphræ operâ, adhæreant radici, quod si fecerint, & succum vitalem ex illo attrahent, & crescent. Tertio. sint ædificij lapides Christo fundamento superstructi, in hoc si manserint, non collabentur* ædificati in ipso Christo. *fundamento igitur innitantur, nec ruinæ metus ullus.*

Secundo. Quomodo in Christo ambulare, *radicati & ædificati permanere* possint, *docet.* Et confirmati in fide, quemadmodum edocti estis. *Fide eos incedere, Christo radici implantatos, eidem adhærere, & hac, ceu vero glutine, cum fundamento colligati esse debent. Fides est, quæ præstat, ut in via, quam didicerunt, mandatorum Christi, currant, in radice permaneant, & super fundamento immoti perstent.* 3. Quomodo hæc *fides* retineatur *& augeatur.* Abundantes in ea in gratiarum actione. *Crebrò sibi in mentem revocent accepta â Deo bona, & gratias ipsi debitas pro ijsdem persolvant, & hac gratiarum actione, fomenta perpetua fidei scintillanti subministrent, nec unquam exstinguatur.*

In Propositione *adhortatur, ut diligenter caveant, ne ullâ doctrinâ â Christo abducantur, quasi in alio, præterquam in ipso salus sit reposita.* Videte ne quis sit vos deprædans, per Philosophiam, & inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, juxtâ elementa mundi, & non secundum Christum. *Quoniam summâ hic opus cautione, particula attentionis auspicatur propositionem.* Videte, *Ut intelligant, diligenter cavendas esse doctrinas â Christo abducentes.* Deindè modum ostendit. *Quomodo fieri soleat, ut rectè de Christo informati corrumpantur,* Ne quis deprædetur vos.

Sicut

Sicut prædones & hostes irruere solent in aliorum bona, & quic
quid nanciscuntur, homines, pecora, aurum, & alia, prædam au-
ferunt; Ità quoque Pseudo Doctores, tanquam prædones, ovile
Christi invadunt, idque agunt, ut oviculas Christi secum in prædã
abducant. Caveant igitur sibi, qui per sanam doctrinam in o-
vile Christi introducti sunt, in quo pabulum vitæ æternæ illis in-
cibum apponitur, ne per hosce prædones in prædam abigantur.
Tertiò media seu principia nominat, *quibus Pseudo Docto-*
res in hâc suâ deprædatione utuntur, ut postquam illa noverint,
tantò rectius cavere possint. Tria *autem* illa *sunt,* Philoso-
phia, hominum traditiones, & mundi elementa. *quæ si*
ad duo genera referre placet, ut gentilismo & judaismo corrumpi
sanam doctrinam hic asserere Apostolum, statuatur, perin-
dè est.

Primum enim ex Gentilismo, Posteriora duo ex Judais-
mo erant. Quamvis non ignorem, Josephum Scaligerum, &
qui eum sequuntur, omnia hæc ad Judaicas deceptiones referre.
Videatur in notis ad Eusebium lib. 2. ϖδδ'οκευ pag. 222. Item
in Elencho Tribæresij Serrar. cap. 22. Placet tamen communem
interpretationem retinere: quum dubium nullum sit, quin apud
Colossenses quoque vixerint, Philosophicis opinionibus imbuti,
quibus cum insolens & absurda videretur Apostolorum de Christo
doctrina, eam impugnarunt. Prima veræ *doctrinæ* corrupte-
la *& à Christo abductio fit, per Philosophiam, dum talia, contrâ*
doctrinam Evangelij, ex Philosophicis principiis proferuntur,
quæ speciem aliquam sapientiæ habent & à Christo, qui unica
est ad salutem via, abducunt, & in errorum devia, æternumq;
exi-

exitium tandem deducunt, eos, qui hisce assentiuntur. Ne autem quis arbitretur, Apostolum universam damnare Philosophiam, adjecit κενὴν ἀπάτην, ut hac expositione ostenderet, eam à se Philosophiam taxari, quando quædam κενὴ ἀπάτη vanaque deceptio est. Quantisper igitur Philosophia in rebus Theologicis ea est, quæ esse debet, intrâ suos se continet limites, & iis adhibita fidele præstat ministerium, tamquam insigne DEI donum amanda est, & operam præstat non inutilem; Verum quando κενὴ ἀπάτη esse incipit, illâque quis ad decipiendum abutitur, principium primum est corrumpens sanam doctrinam. Undè etiam rectè Tertull. libro de præscript. adversus hæreticos. Philosophos hæreticorum Patriarchas nominat, fit autem Philosophia κενὴ ἀπάτη.

Primò, Quando falsa Philosophorum asserta assumuntur, quale est illud Aristotelicum de mundi æternitate. 2. Si axiomata Philosophica, in naturâ fundata, illis accommodantur, quæ naturam excedunt, & infinita finitis metimur. Ut si quis unionem personalem, ex illo axiomate Philosophico, finitum non esse capax infiniti, impugnare velit &c: Corporum cum anima in futurâ vitâ conjunctionem negare, quia idem numero suppositum redire nequit. &c: 3. Si, quæ vera in Philosophia sunt, ad salutis negotium applicantur, indeque mysteria æstimantur, & impugnantur. V. G. non posse hominem justum pronunciari propter justitiam imputatam, quia nemo virtuosus, nisi ex inhærente habitu, dicitur. Secunda. Per humanas traditiones. Secundum traditionem hominum. Sunt autem traditiones hominum, exter-

externi quidam ritus, ab hominibus inventi & præscripti. Cujusmodi in Judaismo plurimi inveniebantur, quales sunt, quod Judæi jubebantur diebus festis ungere capita. Hieron. ad c. 6. Matt. v. 17. Quod Pharisæi scribebant in membranis decalogum Moysis, decem verba legis, complicantes ea, & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur. Quod iidem grandes faciebant fimbrias, & accutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes & sedentes interdum pungerentur, & quasi hac admonitione retraherentur ad officia Dei, & ministeria servitutis ejus. Hier. super Matth. cap. 23. v. 5. Quod mentham, anethum, & Cyminum bis decimari oportere volebant, quia scriptum est: decimabis fructus terræ tuæ, hinc colligebant, fructus terræ, id est. quod terra tradit tibi, ut fruaris: Sed anetho, mentha, cymino, his oleribus & similibus bis fruimur, nempè dum virent, fruimur, & utimur illis, & postquam aruerint etiam, ergo decimanda sunt. Hæc cum virentia in usus colliguntur, & cum arida in usus asservantur, ad quod de frumento & aliis non exigitur, quæ uno modo tantum ad usus veniunt. Videatur tractatus de Decimis. cap. 9. in libro Misnajoth. Ad quam ipsorum traditionem respicere videtur Salvator. Matt. 23. v. 23. Has & similes hominum traditiones, qui sub initium Ecclesiæ N. T. Pseudodoctores, doctrinæ de Christo assuebant, & illarum observantiam, ut necessariam ad salutem requirebant, Apostolus vult, ut sibi caveant, ne hoc corruptelæ genere corrumpantur, & ceu præda quædam à Christo abducantur.

Tertio. Per elementa mundi. Secundum elementa mundi. *Per hæc, ceremonias Mosaicas à Deo præscriptas intelligit. Hujus generis erant mandata de cibis, ablutionibus, diebus festis, & reliqua, quæ lex ceremonialis præcipiebat, quo & circumcisio*

circumcisio referatur: Hæc mundi elementa (sicut has cæremonias, Galat. 4. v. 3. appellat Apostolus) tanquam initialis & abcdaria institutio erant, prima rudimenta, Judæis ad majora deducendis, proponens, & tanquam prædagogia, ad Christum eos adducens. Ut autem hæc mundi elementa antè adventum Christi erant necessaria: ità eo adveniente, ut umbra, dato corpore cessabant. Sed quoniam Pseudodoctores has quoque cæremonias urgebant, & sine harum observatione servari neminem posse contendebant, atqui ità veram doctrinam Evangelij adulterabant, hoc quoq; corruptelarum genus caveant.

Confirmationis argumentum primum, *ex omnium in Christo perfectione, ut extrà eum nihil quærere, nec debeamus, nec opus habeamus.* In eo enim habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. *Quia in capite nostro Christo omnia sunt plena & perfecta, & ex illo, in nos, ceu membra redundant, quæ ad salutem nostram requiruntur, non opus est salutem nostram alibi, sivè in Philosophorum placitis, sivè in hominum traditionibus, sivè in Cæremoniis legalibus quærere. Ad planiorem hujus dicti intellectum notetur. Duo hic indicari, quæ & in omni verâ κατοικήσει inveniuntur; id quod inhabitat, & in quo fit inhabitatio. Id quod inhabitat, est πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος. Hoc quia ab ipso λόγῳ nondum incarnato distingui nequit, nec λόγος extrà carnem subsistens, id esse potest, in quo fit inhabitatio, quare nec per particulam ἐν ᾧ is intelligi potest. 2. Cum hic illud in quo fit inhabitatio sit* CHRISTUS, *non divina sed humana natura indicatur. Ità enim discrimen statueretur, inter πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, & natu-*

naturam divinum, absurdissimè. Quin & nugatoria erit Apostoli locutio, quasi diceret, divinitas habitat in divinitate, atq; ità idem in seipso. Quare secundum humanitatem hic locus est intelligendus. Undè sensus hic emergit, quod in humana Christi naturâ, seu in Christo homine, omnis plenitudo divinitatis inhabitet. Hinc Ignatius in Epistola ad Trallianos, Maria, inquit, genuit corpus, habens Deum inhabitatorem. Idem ad Smirnenses: Verbum in carne habitavit. 3. Ipsa personalis hic indicatur unio. voce σωματικῶς, σωματα enim personæ dicuntur, sicut ex illo vulgato patet. Σώματα πολλα τρέφειν, καὶ δώματα πλὴν ἀνεγέρσαν, ἐς πενίην ὅιμος ἐστὶν ἐθιμοτάτη.

Ædificare domos & pascere corpora multa. Ad paupertatem proximus est aditus. Et Thucydides lib. 6. Civitas aucta est καὶ χρήμασι καὶ σώμασι. Quare alia est inhabitatio Dei in sanctis, quos item Deus inhabitare dicitur, sed nunquam σωματικῶς, ità ut unam cum illis personam constituat, quod de solo Christo dici potest, cujus caro, proprium illud corpus, & templum est, quod ita divinitas inhabitat, ut ex inhabitante divinitate, & carne una fiat persona. Hinc rectè Tertullianus. Deitatem dicit corporatam, assumtione corporis. Videatur præter alios Chemnitius de duabus in Christo naturis cap. 9. & 23. ubi egregie hic locus exponitur.

Secundum, à Credentium conditione, *qui in Christo sunt perfecti, nec alio extrâ Christum egent.* Et estis in illo completi. *Non solùm ipse Christus in se omnium rerum perfectionem possidet, ut ex illo, quæ ad salutem necessaria sunt, hauriri possint: Sed & vos quotquot fide ipsi adhæretis, in Christo estis completi, ac plenè possidetis, quæ ad salutem necessaria sunt. Non igitur necessum est, ut ablegemini ad Philosophiam, hominum*

num traditiones, & mundi elementa, indè petituri quidquam, quod ad salutem sit necessarium. Geminum his est, quando Apostolus Rom.8.v.1.ait. Nihil condemnationis esse in illis, qui sunt in Christo Jesu.

Tertium. Est Christi summa Excellentia. Qui est caput omnis principatus & potestatis. *Tantum abest, ut admittere debeatis, quî vos quis ableget ad Philosophiam, hominum traditiones, & mundi elementa, quasi ex illis quidquam ad salutem necessarium, petere, opus habeatis, ut nec Angelos quidem adire opus sit, tamquam salutis largitores; cum & ipsi Angeli, quicquid habent, â Christo habeant, eumq; pro capite agnoscant. Facilè igitur nobis miseris homuncionibus sufficiet, ut aliis ad salutem adminiculis & præsidiis non egeamus.*

Quartum. Contrà illos potissimum directum est, *qui ex Judæis Christiani facti, circumcisionem, tanquam ad salutem necessariam, urgebant: & probat nos circumcisionis veritatem in Christo possidere, atq; ideò circumcisionem, quæ manibus fit, non esse necessariam.* In quo & circumcisi estis. *Verum quia Colossenses, ut gentiles, circumcisionem non acceperant, quæri posset, quomodo circumcisi esse dici possint, cum præputium adhuc habeant. Respondet Apostolus distinguendo inter circumcisionem* περιτομὴν *&* ἀκροβυστίαν, *inter illam quæ peragitur manibus hominum, & inter illam quæ non fit manibus, Spiritu Christi.* Circumcisi estis, circumcisione, quæ non fit manibus. *Ut autem illâ circumcisione* περιτομῇτῷ *præputium carnis, seu particula anterior membri genitalis abscindebatur, ità hâc* ἀπεκδυσει *quæ Christi est, seu quæ per Christum fit, digito Spiritus, corpus peccatorum carnis exuitur.* Dum corpus peccatorum carnis exuistis, in circumcisione Christi. *Per corpus*

peccatorum carnis omnia intelligit peccata, quæ ex carnali nativitate nobis adhærent: Quibus ceu veste circumdamur, & undiq; cingimur. Quod hic corpus peccati, illud Rom. 6. 6. veterem hominem nominat. Scientes, quod vetus noster homo cum eo crucifixus est, ut aboleatur corpus peccati, ne nos amplius serviamus peccato. Ne autem dubium aliquod alicui relinquatur, ex collectione Pauli concludentis, non opus esse circumcisione quæ fit manibus, quia circumcisi sint circumcisione, quæ fit sine manibus. Utraq; enim videri posset necessaria. Nam & Abrahamus ἀχειροποιήτῳ circumcisione circumcisus, jubebatur, tamen & illam χειροποίητον accipere. Verum sciatur, Apostolum non de tempore Veteris Testamenti concludere, in quo ipsi ità colligere non licuisset, ubi ex mandato Dei χειροποίητον circumsionem imperantis, illa sine peccato intermitti non potuit. Alia autem est ratio temporis in Novo Testamento, ubi omnes illæ ceremoniæ Mosaicæ abrogatæ sunt, Christo, quem adumbrabant tanquam corpore jam præsente. Deindè Apostolus addit. Quo medio *Spiritualem hanc ἀχειροποίητον circumcisionem Christus peragat, Illud est Baptismus, qui in locum circumcisionis subrogatus est.* Consepulti cum eo (*Christo*) in baptismo. *Sicut in cruce Christus verè naturaliter mortuus est, ità quoq; verè spiritualiter in nobis mortificantur peccata, & cum Christo humantur: ità ut & reatus & dominium, quod in homine alioquin habiturum erat, ipsi adimatur.* In quo etiam (Baptismo) cum eo (Christo) surrexistis. *Et quemadmodum Christus à mortuis resurrexit, ad vitam meliorem: Ità & per Baptismum cum Christo sepulti, resurgunt ad vitam novam, in vitæ integritate incedentes. Et quidem hæc ex parte Dei per*

Baptis-

Baptismum conferentis, quæ salutariter per fidem ex parte nostri acceptantur.

Quare Paulus addit: Per fidem efficaciæ Dei: *ut in Baptismo corpus peccati sepeliatur, & cum Christo resurgat: seu ut peccatorum mortificatio, & vitæ novitas seu renovatio indè consequatur, hic fide, tanquam manu, quæ DEUS offert acceptante, opus est, quod ipse DEus in nobis efficaciter operatur.*

Describit simul DEum, & dicit, efficacia id fieri Dei, qui Christum suscitavit à mortuis: Qui eum suscitavit à mortuis. *Non quasi alienâ virtute Christus à mortuis resurrexerit, qui potestatem habet animam suam ponendi & resumendi, Johan. 10. vers. 18. Sed quia primatus potentiæ in resurrectione Christi penes DEUM Patrem est, qui per æternam generationem illam, filio concessit, & qui eandem per unionem personalem assumptæ humanæ naturæ communicavit.*

Quinta. A vitæ *æternæ quam in Christo consequuti sumus* adeptione. Et vos cum mortui essetis in delictis, & & præputio carnis vestræ, convivificavit cum eo. *Pater è mortuis Christum ad vitam æternam excitando, nos in peccatis mortuos, omni vitâ Spirituali cassos, & mortis æternæ propter hæc reos, & præputio carnis, i.e. naturæ corruptione, quæ per propagationem in omnes derivatur, subjectos, simul cum Christo, & in illo, tanquam ejus membra, vivificavit, Ergò nihil ex Philosophia, hominum traditionibus, & mundi elementis, tanquam ad vitam æternam necessarium petendum est, sed singula hæc, ceu impostura à Christo abducens cavenda sunt.*

Probat hanc nostram vivificationem *à causa ejus proximâ*; Condonans enim nobis omnia peccata. *Sicut propter peccata morti fumus subjecti, ità peccatis sublatis, mors tollitur, ex gratiâ igitur condonando nobis peccata, nos simul vivificavit, & vitam restituit.*

Sextum *A* Remotione illorum, quæ nos accusabant, ad remotionem accusationis. Delens quod adversus nos erat, Chirographum decretis, quod erat contrariũ nobis, *Argumentũ hoc est. Christus illud quod contra nos erat chirographum è medio sustulit, stultè igitur agerem°, si illud revocaremus, quod fit si quis elementa mundi, & ceremonias legales observandas contenderit, quas tanquam in mandatis multis positum chirographum, Christus sustulit. Ut enim stultus censetur, qui debito alicui obstrictus, postquam id alius, ejus nomine solverit, & chirographo satisfecerit, si idem chirographum redintegrare velit. Ità & nos stulti, si legis nos debitores constituerimus, postquam Christus legi pro nobis satisfecit. Cæterum singula hujus argumenti verba meritò excutienda. Per chirographum, quem Christum deleviſſe. ait* alij *intelligunt omnia illa, quæ Judæis præceperat Deus, ad quorum obædientiam se Populus judaicus obstrinxerat, dicendo, quæcunq; præceperit Deus, illa faciemus. Exod. 20. v. 19. Quoniam autem illa non præstiterant, obligabantur ad pœnam, & chirographum sibi contrarium habebant.* Alij *volunt chirographum esse illud præceptum Dei, Adamo, tanquam humani generis radici, datum, de non comedendo è fructu arboris vetitæ, & morte expectandâ, si comederet. Hoc nos omnes post transgressionem obligabat.* Alij *per illud practici syllogismi intelligunt subsumptionem; ut quando*

Moyses

Moyses ait, non furaberis, aut æternâ morte morieris, hic mens sibi conscia subsumit, At tu furatus es. E. morte æternâ morieris. Hanc cum subsumptione conclusionem, tanquam chirographum nos accusans à Christo sublatum esse volunt. Alij *volunt, peccatorum & transgressionum nostrarum apud Deum memoriam, quia Deus peccata nostra novit. Hæ quamvis expositiones omnes sensu piæ sint, suumq; in homiliticis expositionibus locum habeant: Tamen eorum expositio maximè contextui servire videtur, qui per Chirographum legem ceremonialem intelligunt. Quia Chirographum in mandatis Apostolus nominat. Illud autem propriè intelligitur de lege Ceremoniali, quæ lex præceptorum in ritibus dicitur, ut ex Ephes. 2. 10. constat. Deindè quia argumenta illis potissimum opponit, quæ versu 8. recensuerat, quæq; ibi elementa mundi nominaverat, illud hic ipsi in mandatis positum chirographum dicitur: Has dum Judæi observabant, Deo se obstrictos confitebantur, donec Messias veniret, illas abrogaret, & Judæos ab horum observantiâ liberaret. Verum quia Christus jam advenerat, hæ ipsæ leges erant sublatæ. Malè igitur agebant Pseudo Apostoli illas reducentes. Quamvis autem Apostolus de solis legibus ceremonialibus videatur loqui, non malè tamen per Chirographum quidam totam legem, non excluso, sed incluso, Decalogo, hæc acceptant. Ut Quicquid nos, apud Deum reos peragere posset nomine chirographi veniat, , totaque lex etiam moralis, quoad rigorem & maledictionem à Christo sublata est. Sicut & Apostolus per Christum ab hac nos liberatos esse ait, Rom. 7. 6. Idq; innuere voluisse Apostolum non malè ex particulis* τὸ καθ' ἡμῶν, & ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, *quod erat adversum nos, quod erat contrarium nobis colligitur. Nihil enim nobis adversum, nihil contrarium magis, quam lex moralis: Nec in-*

frequens

frequens est Apostolo, hæc argumentandi ratio, ut ex totius legis abrogatione, partis abrogationem colligat sicut & Gal. 3. agit. Unde & hoc loco, si totam legem sustulisse Christum dixerimus, & legem ceremonialem sublatam esse, optima consequentia colligitur, malè igitur agere Pseudo Apostolos, quod illam revocabant. Quicquid igitur nos, tanquam debiti alicujus reos accusabat, & à nobis ceu debitoribus solutionem exposcere poterat, pro eo CHRISTUS satisfecit, is delevit chirographum, qui contra nos erat, sanguine suo illum, expungendo. Ne autem ulla nobis super eo moveatur controversia, è medio idem tulisse ait Apostolus, ne illud alicubi asservari metueremus. Nec hoc contentus, adjicit laceratum, & in partes sciissum cruci affixisse, ut omnis creatura testimonium nobis solutionis perhibere possit. Quo tranquillantur fideles animæ, planè sibi non metuentes, fore ut aliquando debitum à se exigatur, cum chirographum, cujus vigore debiti solutio peti poterat, à CHRISTO deletum, è medio sublatum, & cruci, tanquam nullius amplius valoris, affixum sit.

Amplificat hoc argumentum. *ab effectu, qui insecutus est, ubi Chirographum in cruce Christus delevit:* Et expoliatos principatus traduxit palàm, triumphans de illis in ipso. *Dum enim ipsum Chirographum à Christo deletum est: omne, morti, quæ est stipendium peccati, in nos imperium adimebatur, simulque qui habebant mortis imperium, infernales Spiritus expugnabantur, & in Dei, Sanctorum Angelorum beatarumq; animarum conspectu, illos Christus, ut victor publicè victos traduxit, ut perpetua illos maneret ignominia. Sicut ex Matt. 1. 16. liquet: Hanc vocis* ὡς δεδειγματίσεν, *quo Apostolus utitur*

titur, esse significationem. Argumenti igitur Sexti Apostolici hæc est summa: Christus chirographum quod erat contrà nos, delevit, è medio sustulit, lacteratum cruci affixit, ut nemo ejus solutionem à nobis exigere possit. Quin & præterea hostes, qui vigore illius, quod contrà nos erat chirographi, in nos Tyrannidem exercebant, devicit, spoliavit, de iis publicè triumphavit. Quotquot igitur legis observationem tanquam necessariam ad salutem urgent, de novo chirographum conscribunt, & contrà se hostes devictos armant.

Ex hiscè *à se prolatis rationibus, nunc Porrò* Conclusionem Apostolus infert: Nemo igitur vos judicet. *Cum omnia ad salutem necessaria, in solo Christo inveniantur, & quidem plenissimè: contemnite judicia illorum, qui vos propterea condemnant, & tanquam decretorum Dei violatores reos peragunt, quod illa spernitis, quæ ipsi, ut ad salutem præter Christum necessaria, nobis obtrudere allaborant.* Recenset simul aliquot species corruptelarum, *ob quarum intermissionem condemnabantur à Pseudo Doctoribus, ut de similibus, quorum eadem ratio, idem judicarent.* Nemo vos dijudicet in cibo & potu. *Erant certi quidam cibi in lege Moysis, quibus tanquam immundis vesci non licuit, interdicti, ab horum commestione abstinere Christianos volebant, ex Judaismo Pseudo Doctores. Hanc primam corruptelarum speciem. Paulus removet, & ex superioribus colligendum esse vult, condemnatoriam illorum sententiam, qui eos propterea condemnant, nullius faciant.* Deindè *nec sub lege conscientiæ astringi se patiantur ad certorum festorum observationem*, in parte festi,

aut Neomeniæ, aut Sabbathorum. *Habuerunt Judæi Primò Tria festa celeberrima. 1. Pascha quod & azimorum. 2. Pentecostes. 3. Tabernaculorum, quod & Tubarum & expiationis vocatur. De quibus Vide. Levit. c. 23. Hæc κατ' ἐξοχὴν festa dicebantur. Illa indicat Apostolus nomine ἑορτῆς. Deindè habuerunt Neomenias, seu Novilunium, quod singulis mensibus celebrabatur, cujus mentio Num. 10. 10. Tertiò fuerunt Sabbatha, quæ septimo quoq; die singulis septimanis celebrabantur. Ab his & reliquis, quæ apud Judæos celebrabantur festorum generibus qualia sunt, Jubilæus. Lev. 25. purim seu sortium Esth. c. 9 Encoenia. 1. Macc. 4. 59. Christianos esse liberos ait Apostolus, quare & contemnant judicia illorum, qui eos propter horum neglectum condemnant, nec patiantur sibi persuaderi, eorum observationem ad salutem esse necessariam.* Rationem his addit: Quia sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. *Ritus hi Mosaici de discrimine ciborum & festorum nil nisi umbra sunt & obscuræ repræsentationes, adventantem Christum præfigurantes. Hic postquam jam advenit, cessarunt umbræ, malè ergò agitis, si illas sectati fueritis, quin & fatui estis, malle rei umbram, quam id, cujus umbra est, amplecti.*

Tertiò, aliud genus falsi dogmatis ponit, *à prioribus duobus diversum, quod ex falsis speculationibus oriebatur.* Nemo vobis palmam invertat; volens in humilitate & cultu Angelorum, in his quæ non vidit, fastuosè incedens, frustrà inflatus â mente carnis suæ, non tenens caput, ex quo totum corpus, per juncturam & connexiones subministratum & compactum, crescit augmento Dei. Quatuor in horum expositione observentur. 1. Aliis verbis reposita conclusio, Nemo vobis palmam invertat.

tat. *Sicut ii, qui in stadio currunt, eo id fine agunt, ut Brabeum deportent: Sic & Christiani, stadium vitæ, in religionis area habent, in hoc eos fide & caritate currere oportet, usque dum vitæ aream decurrant, & ad scopum, vitam æternam, pertingant. Videant igitur Colossenses, ne cursum suum â quoquam impediri, & ità præmio, quod ibi promittunt ex cursu, privari patiantur.* Nec contemnenda sunt, quæ hujus loci expositioni, Zanchius addit, quando ait: *Brabei hujus privationem contingere dupliciter. Primò si currens pertæsus laboribus, in via succumbat, de hoc. 1. Cor. 10. Sic currite ut deprehendatis. 2. Si currendi scopus tollatur, ità ut eum intueri non possit. Hoc fit tribus modis. 1. Si scopus suo loco moveatur. 2. Si quid medii interponatur. 3. Si obscuretur. Scopus suo loco movetur, si Christus è sede majestatis suæ, naturæ & officij removeatur, ità ut pro Deo, vero homine, & unico servatore eum non agnoscas. Sic Turcis est sublatus, & ejus loco habent Mahomethum. Medium interponitur, cum inter Christum & nos alii collocantur mediatores, & intercessores, ut Angeli. Sic Turci à Christo ad Mahometh prorsus defecerunt, & illis ereptum est Brabeium. Obscuratur autem ita, ut non possit discerni, quando cum Christo Salvatore, alia quoq; ut necessaria ad salutem miscentur. Hoc faciebant qui cum Christo ejusq; Evangelio miscebant legem. His modis tollitur scopus, & per consequens brabeium eripitur. Si ergò nolumus defraudari brabejo, primò caveamus, ut semper retineamus scopum, qui est Christus. Deindè currentes ad eum fide & charitate, ne in cursu deficiamus.*

Secundo. Ipsius generis dogmatis, quo id potissimum fiebat, expositio in cultu Angelorum, *Depromebatur hoc falsi dogmatis genus ex Platonicorum Scholis & inanibus*

Enthusiasmis. Habebant Platonici Deos suos medioxumos, inter Homines & Deum medios, qui preces ad Deum deferebant, hosce colebant, & ex nidore hostiarum, aerea habentes corpora, vivere fingebant; Hos tanquam precum suarum portitores obtrudi sibi, & ad eorum cultum se pertrahi, ne sinant. Nam qui ad horum angelorum cultum perducitur, is à mediatore unico, Christo abducitur, & brabejum in Christo sperandum ipsi intercipitur.

3. Medij, quo ad hanc suam corruptelam & dogma persuadendum utuntur, mentio. Volens in humilitate. *Studiosè fictam aliquam simulant humilitatem, quasi indigni simus nos miseri homunciones, qui rectà ad Christum accedamus, & per eum Patrem Cœlestem adeamus; tenuiter ergò de se sentientes, & coram Majestate Christi fictitiam humilitatem mentientes, ad Angelos accedendum, & illorum intercessione, utendum esse suadent.*

4. Causarum ex quibus hic illorum error fluit, recensio. Earum prima, *fastuosa mentis, suo acumine nitentis extrà Dei verbum, elatio.* In his quæ non vidit incedens frustrà in flatus à mente carnis suæ. ἐμβατεύων, *arroganter, & cum supercilio incedunt, inflati à mente carnis suæ, suo fidunt ingenio, & secundum ejus dictamen, necessum esse sibi somniant, hoc Angelorum medio interventu, quare, quæ non viderunt, quarumq; cognitionem ex verbo Dei non hauserunt, superbè proponunt.* Secunda *religionis, & omnium credentium capitis ignorantia.* Non tenens caput, ex quo totum caput per juncturas & connexiones subministratum, & compactum, augescit augmento Dei. *Illi Christum esse caput credentium ignorant, cui fide connexi, tanquam membra,*

ab

ad eo Spirituale augmentum consequuntur, quare ad Angelos eos ablegant, quasi illi caput sint Ecclesiæ, ignorantia contrà Dei verbum manifesta.

Aliam hujus loci Expositionem legere licet in Scaligeri Elencho Trihæres: Serrarij. cap. 27. non placuit mihi à vulgatâ recedere: vide tamen, si placet, notas meas Biblicas ad hunc locum.

Quartò. *Alius generis falsi dogmatis meminit, quod ex medio corruptelarum principio, quod est humanæ traditiones, promanat.* Observentur hic Quatuor. 1. Ex superioribus educta conclusio. 2. Corruptelæ expositio. 3. Ejusdem refutatio. 4. Ad instantiam Pseudo Doctorum, quâ suam hanc corruptelam defendunt, responsio. Conclusio. Si ergò mortui estis cum Christo, ab elementis mundi, quid tanquam decretis oneramini? *Non hic Apostolo de legibus ceremonialibus Moysis sermonem esse liquet, ex refutatione quæ est versu 22. ubi hoc corruptelæ genus doctrinas hominum nominat, vultque ne ad hominum traditiones pertrahi se sinant. Si cum Christo mortui estis ab omnibus mundi elementis, seu rebus mundanis, planissimè admittere non debetis, ut quis hominum decretis, quæ ut ipsi homines, vana sunt, vos oneret;* Corruptelam ipsam exponit. *Per Mimesin repetendo verba Pseudo Apostolorum, in quibus per gradationem à præceptis levioribus ad asperiora & duriora ascendit.* Ne esitaveris, ne gustaveris, ne tetigeris. ἅπτομαι *cum tangere & esitare significet, hic rectius per esitare exponi videtur; & ait, primò Pseudo Doctores præscribere ne certis quibusdam cibis vescentur, id ubi obtinuerunt progrediuntur,*

diuntur, & ne quis eos gustet, vetant. Post & tactum eorundem interdicunt, & ità posteriores ordinationes prioribus duriores & intolerabiliores.

Refutationis Argumenta duo sunt. Primum *à fine, in quem cibi, à Deo sunt instituti,* quæ sunt omnia in corruptionem ipso abusu. *Vanum est decreta de cibis non esitandis, gustandis, tangendis condere, & illis conscientias constringere, cum Deus illos ità crearit, ut, dum sumuntur, corpus nutriant, & quod reliquum est corrumpatur, & in secessum abeat, docente Christo. Matt. 15. Omne quod intrat in os in ventrem abit.* Alterum. *à causa hujus corruptelæ.* Juxtà præcepta & doctrinam hominum. *Hoc non Deum sed homines autores habet, ne igitur hic constringantur conscientiæ vestræ.* Instantias tres, *quibus Pseudo Doctores ad decreta sua stabilienda uti poterant,* Refutat 1. *Licet in Dei verbo hæc non sint præcepta, tamen bonâ intentione illa fieri.* 2. *Humilitas, ipsi se Doctores submittunt hisce præceptis ut bonis. E. & reliquos debere.* 3. *Talia sunt, ut illis lascivia carnis dometur. Resp. Apostolus. 1. Speciem hæc habere sapientiæ, sed reverâ in se nil nisi stultitia sunt, non enim ullum requirit Deus cultum, propriâ intentione extra verbum inventum.* Quæ speciem quidem habent sapientiæ in superstitione & humilitate & neglectu corporis *Resp. 2. Peccant hæc ipsa decreta in excessu.* Non in honore aliquo ad expletionem carnis. *Cum Deus propterea cibos nobis concedat, ut corpus illis repleatur ad satietatem, & robur, ad expedienda sua negotia, nanciscatur, hi suis decretis nimiam abstinentiam imponentes, debito honore corpus privant, ejusque vires debilitant.*

CAP.

CAPUT TERTIUM.

QVinta Epistolæ pars, quæ planè paræneticа est, hoc capite incipit, in quo more suo Apostolus postquam exposita summa doctrinæ Christianæ capita, ad vitam Christiani hominis formandam descendit, quam non vult in terrenis, sed cœlestibus exercitiis occupari, veteri homini unâ cum actionibus suis renuncient, novo vivere incipiant, & propterea longum vitiorum fugiendorum, & virtutum his contrariarum sectandarum, catalogum recitat. Ab hisce generalibus, omnibus necessariis, ad particularia præcepta progreditur, quæ sibi conjuges, liberi, parentes, servi, Domini officia præstare debeant, exponit.

Partes capitis tres *sunt.* Prima. *ex antedictis immediatè fluens generalis illatio, non terrestria sed cœlestia esse homini Christiano curanda. ad vers. 5.* Secunda. *Primæ partis expositio, in qua vitia Christiano fugienda. & virtutes quas Sectari debet recensetur. ad vers. 18.* Tertia. *particularia aliquot præcepta oeconomica continet in quâ uxoribus ut maritis se subjiciant; à maritis, ut uxores diligant; à liberis, ut parentibus obediant; â parentibus, ut liberis se benignos præbeant; à servis ut Dominos seriò revereantur; à Dominis ne servos injuriâ afficiant, requirit.*

In parte prima *observentur* quatuor. Primò *ex superioribus propositionem adhortatoriam infert.* Secundò *Eandem confirmat,* Tertiò *tacitam objectionem diluit.* Quartò. *Ex propositione consolationem ducit.* *Propositio.* Si resurrexistis igitur cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, in dextrâ Dei sedens superna curate non terrestria. *Dixerat Apostolus capitis præcedentis v. 12. Consepultos*

pultos nos esse cum Christo, in Baptismo, & cum eodem tanquam membra cum capite resuscitandos. hinc hoc loco infert, quoniam cum Christo resurreximus, ille Ergo quemadmodum se corporali conversatione à rebus terrestribus, post resurrectionem subduxit, ità nos idem faciamus; & si non corpore, tamen intellectu, voluntate, affectibus, actionibus Christum sequamur, nec terræ amplius rebusq; terrenis affixi, sed ad cœlestia subuolemus. Cæterum in hac propositione verba Apostolica notanda: 1. Vult nos quærere & curare cœlestia, hoc est jugi & indesinenti meditatione cœlestia cogitare, ut mentes eorum amore flagrare, & hæc terrestria spernere incipiant: ità ut pro persuaso habeamus, peregrinari saltem nos in terris. nostrum ergò non esse, in hac peregrinatione, terræ, quam transimus, & quæ in eâ cernimus, affixos esse, sed mente, quæ ad cœleste nostrum πλήρωμα respicit, eidem adhærere. Deindè cœlestia ità circumscribit, ut ea dicat esse 1. sursum. 2. Ibidem esse quærenda ubi Christus est, sedens ad dextram Dei. Quibus non localis quædam distantia, certusq; extrà cœlestes Sphæras locus, in quo Christus commoretur, notatur: quasi mente & cogitationibus cœlorum orbes perrumpere, & ibidem cœlestia, ad quæ nos quærenda instigat Apostolus, quærere jubeamur. Nam quid per superna intelligat Apostolus 1. Ex oppositorum terrenorum expositione, manifestum est. Sunt autem terrena, stuprum, immundicies, mollicies, concupiscentia mala, avaritia, ob quæ venit ira Dei super homines contumaces. vers. hujus capitis 5. Ergo superna ipsi sunt, contrariæ virtutes Christianæ: vitia illa ut terrena nos fugere, virtutibus contrariis, tanquam supernis nos vult operam dare. Deindè superna illa, quæ quærere jubemur, ità nobis in sacris circumscribuntur, ut nullum extra nos mentis subvolatum, sed cum intra nos sint, à terrestrib. mentalem aversionem notent.

Quem-

Quemadmodum enim Apostolus non superna, ita Christus regnum Dei, Matth. 6. 33. quod tamen intra nos est Luc. 17. 21. quærere jubet. Dicuntur autem hæc superna non terrena, quia à Patre luminum descendunt desuper. Jacobi 1. 17. operante eo in nobis per Spiritum Sanctum hoc vitæ sanctæ, ad quod instigamur, studium.

Unde & rectè Beza in glossa marginali, ad hæc Apostoli verba: Finis & scopus omnium Christianæ vitæ officiorum est, Cælorum iter ingredi, & iis, quæ nos eò deducunt, incumbere: id est, solidæ pietati, non autem externis illis, & corporalibus. Nec dextra Dei, ad quam Christus sedet, locus quidam certus est, à nobis disjunctissimus, in quo nunc Christus commoratur: quod & hoc loco Calvinus fatetur, quando hanc dextram non cœlo inclusam esse, sed totum implere mundum dicit. Et alibi id prolixè Orthodoxi ex Dei verbo probant. Ascribo saltem hoc loco verba D. Lutheri, qui libro contra cœlestes prophetas, dextra Dei, inquit, non est locus aliquis, nec est in loco aliquid: sed est ipsa omnipotentia, & majestatis divinæ gloria, quæ cum nulli loco insit, nusquam tamen excluditur, quippe rerum omnium non conditrix tantum, sed & conservatrix: ac proinde creaturis omnibus incomparabiliter præstantior: ita ut, cum in minimo grano tota sit, tanta tamen ejus sit majestas, ut ne mille quidem mundi eam capere, aut includere possint: sic definiente scriptura. Psal. 139. 7. Jes. 66. 1. & 2. Act. 5. 31. c. 17. 27. Rom. 11. 36.

Confirmationis argumentum *desumit à Christianorum conditione:* mortui enim estis: *ut naturaliter emortui non curant illa, quæ in terris circa se aguntur: ita etiam Christiani, mundo spiritualiter mortui, non quærant, nec curent illa mundana, non se associent filiis hujus seculi, quorum Deus venter est,*

& gloria in dedecore eorum, qui terrestria curant Phil. 3,19. Verùm cum mortui nullarum rerum cura tangantur, regerere poterant Colossenses, quia mortui sint, nec se superna debere curare. Diluit hoc, & ita eos mortuos esse dicit, ut tamen vivant, & vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. *quia ergo in baptismo, mundo sint mortui, non curent mundana, & quia cum Christo resurrexerunt, & in Deo vivunt, vivant igitur Deo, & cœlestia curent.*

Consolationem hinc educit. Ubi autem Christus apparuerit vita nostra, tum & vos cum eo apparebitis in gloria. *Quamvis in his terris Christiani cum variis miseriis, & calamitatibus conflictemur, ut nihil hujus vitæ cœlestis appareat: ne tamen propterea animum despondeamus, vita nostra in Christo nobis reservatur, & abscondita mortales oculos latet: & quando is revertetur, tum mundo universo omnibusque Angelis patebit vita hæc nostra, & nos glorioſi omnibus apparebimus. Nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit id quod futuri sumus, scimus autem, quod si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est 1. Joh. 3. v. 2.*

Propositionis Expositio bimembris est, *ipsi propositioni respondens: in qua ut Colossenses superna & non terrena curare jubebat: ita in hac* Primò *terrestria i. e. omnis generis vitia eos deponere:* Deinde *superna, seu quæ sunt vivi hominis, i. e. Christiano dignas virtutes operari jubet. Agit igitur* Primo de Mortificatione, deinde de vivificatione, ut spiritualis regenerationis partibus. Dum Mortificationem suadet. 1. Propositionem generalem infert, post vitia aliquot recenset, quæ ad mortificationem veteris hominis *requiruntur*; & rationes suadentes aspergit. Propositio: Mortificate igitur membra vestra terrena.

Mem-

Membra, quæ vult eos mortificare, sunt vitiosi affectus, veteris hominis partes, quibus ille, ceu corpus membris, mala operatur: hos mortificent, quod fit, quando illos compescimus, eorumq; in nobis vim & operationem, Spiritus sancti in nobis habitantis virtute retundimus.

Terrena hæc membra nominat. Quia hi affectus non nisi in terrenis voluptatibus occupantur, nos terræ affigunt, ad cœlestia aspirare impediunt, & cœlestis regni extorres, illis inviventes faciunt. Dum vitia, *membra illa terrena deponenda recenset,* primo recitat *illa, quæ nostras ipsorum voluptates concernunt,* deinde *quæ in proximum feruntur.* Prioris generis quinq; *sunt. Primum* Scortatio. *illicitus cum soluta concubitus, deinde* immundities, *vox omnibus turpibus venereis actionibus communis, omnes illicitas venereas libidines, quibus se inquinant, & polluunt homines, complectitur. Tertiũ πάθος* venereus affectus, *vehementior animi affectio, qua ad quævis libidinum illicitarum genera homo impellitur, & furibundus quasi illicitam venerem sectatur. Hoc (ut Athanasius ait) non secus habet, ac vulnus in corpore, aut febris, aut alius quivis ejusmodi morbus, cui mederi singularis curæ est, & planè divinæ. Huc pertinent illa Christi asserentis: non omnes illud verbum capere Matth. 19. 11. 12. & si quis se huic imparem senserit, ei remedium indulsit Deus conjugium. 1. Cor. 7. 9.* Quartum concupiscentia mala. *Malorum in decalogo vetitorum appetitus inordinatus. Dum autem malam dicit, bonam etiam quandam esse indicat, quæ est vel in rebus sanctis, Ps. 119. 40. Luc. 10. 24. vel in rebus naturalibus, cibi, potusq; appetitu somni, & conjugij licito desiderio. Luc. 16. 21. & alibi, quarum neutra damnatur lege.* Avaritia *insatiabilis, plus semper habendi, libido, qua flagrantes illis, quæ possident, non contenti sunt, sed perpetuo plura appetunt, alienis*

inhiant & quo jure, quâ injuria, ad se, quantum possunt, pertrahunt. Rationum quibus hæc vitia *seu terrena membra dissuadet,* prima particularis est, *solam avaritiam concernens, quæ vel hoc nomine fugienda, quia* idololatria est: *quia sicut idololatra vero relicto Deo, ad idolum aliquod confugit, in illoq; fiduciam collocat: ita & avarus spreto Deo, in divitiis spem & fiduciam suam collocat, & cùm soli Deo servire debeat, hisce corradendis invigilat, Dei, & rerum divinarum parum pensi habens.* Reliquæ duæ sunt generales, *ab aliis enumeratis vitiis nos dehortantes.* Prior *à pœnæ gravitate, quæ illos manet, qui his vitiis student.* Propter quæ venit ira Dei in filios inobedientiæ. *Nil nisi divinam iram, quæ pœnam comitem habet, illi, qui Deo ab hisce vitiis dehortanti non obediunt, sibi promittant: hanc ut declinetis, vitia illa ante enumerata fugite.* Posterior, *à Christianorum conditione,* in quibus ambulabatis quondam cum viveretis in eis, *quia Christiani peccato in baptismo sunt mortui, vult nos nobis in mentem conditionem nostram revocare, ejusq; monitu peccata illa declinare, in quibus qui incedunt, se adhuc mortuos esse justitiæ, & peccato vivere, probant. Id cum plane subvertat statum Christianorum, qui peccato mortui, vivere debent Deo, his non studeant, nisi ad gentilismum, ex quo exiverunt, redire velint.* Dehortaturus à vitiis, quæ in proximum feruntur, *sub initium* propositionem repetit, *post* sex vitia, *quibus proximus læditur,* nominat. Propositio *repetita,* nunc autem & vos deponite omnia. *Quod antè* vox νεκρώσατε, *id nunc* ἀπόθεσθε *indicat, qua id vult, non saltem vitiosos illos affectus mortificandos esse, sed ut cadavera solent reponi in sepulchreta, ita etiam deponendos esse affectus depravatos, ut planè cum illis nihil nobis sit commercij, ut nec vivis cum illis,*

illis, quæ humarunt, cadaveribus. Et ne illa saltem, quæ antè recensuerat, & mox recitabit, vitia mortificanda & deponendæ esse censeamus, addit vocem omnia: *ut quicquid est hujus generis vitiosorum affectuum, ad eandem classem pertinere indicet.* Primum quibus proximum impetimus vitiorum constituit iram, *ut autem ante, non ab omni concupiscentia, sed malâ saltem dehortatus est, ita nec hic omnem, sed saltem malam iram nos vult vitare: mala autem illa est, quæ ex malo principio proficiscitur, & finem malum sibi habet propositum, qualis illorum est, qui ex vindictæ cupiditate proximo malè volunt, & iracundo non ejus, cui irascuntur emendationem, aut Dei gloriam, sed proximi damnum spectant.*

Secundum Excandescentiam. *Ira quædam vehementior est, in qua sanguinis circa cor ebullientis commotio, se signo quodam exteriori, in vultu & oculis, alijsve membris exterioribus ostendit.* Tertium malitiam, *quæ quamvis omne vitiorum genus complectatur, hîc tamen videtur pro illa ira poni, quæ effectu proximum lædit: ut in tribus his vocibus, ira, excandescentia, malitia, gradatio quædam sit, & prima in mente latens, in secunda per gestus exteriores se exerens, in tertia factis se prodens ira intelligatur.* Quartum blasphemiam, *quæ oratione proximi famam lancinat, eique pessima imprecatur.* Quintum, turpiloquium, *omnis sermo spurcus, quo castæ aures, & animi læduntur, & qui cum Christiana honestate & gravitate pugnat. Hic ex ore nostro ne prodeat, quod nobis ad Deum laudandum, & ad proximum ædificandum datum est.* Sextum mendacium, *dictum cum veritate pugnans, cum nocendi studio conjunctum.*

Transiturus Apostolus ad alteram compositio-

nis partem, vivificationem, Tria præmittit. Primò *regenerationem per partes describit.* Deinde *quomodo homo novus renovetur exponit.* Tertiò, *ad quos hæc renovatio pertineat, indicat.* De Primo. Exuti veterem hominem cum actionibus suis, & induti novum. *Quibus ad regenerationem duo requiri ostenditur: vetus homo exui, novus indui debet.* vetus homo est *vitiositas à generatione, postlapsum, naturæ adhærens, ex qua tanquam radice, infelices illi fructus, vitiosi affectus, & omnis generis peccata propullulant. Ad regenerationem igitur opus est, ut singulis momentis in id incumbamus, quâ vitiosa hæc natura, ceu mater, una cum prole sua peccato in nobis necetur, vitiosi peccatorum impetus retundantur, eorundem vis infringatur.* Novus Homo, est *depravatæ naturæ ad imaginem Dei renovatio: indies igitur Christianis ope Spiritus Sancti operandum est, ut quicquid in se habent vitiositatis, & vitiosorum affectuum, non solum deponant, sed etiam ad Deum se convertant, ad perfectionem toto vitæ tempore (non enim momento illa novi hominis reparatio datur, sed sua admittit incrementa, & toto vitæ tempore crescens, perfectionem suam in futura tandem vita nanciscetur, tendat.*

De Secundo. Renovationem hanc fieri docet Apostolus, *non per ipsius naturæ depositionem, sed ejusdem ex veteri & prava, in novam meliorem renovationem*, quod fit quando renovatur ad agnitionem, & imaginem ejus, qui condidit illum. *Quia per lapsum homo concreatam illam suam perfectionem, quæ fuit in mente lux agnitionis DEI, ut Paulus hoc loco docet & in voluntate justitia & sanctitas veritatis Ephes. 4. 24. amisit, ita ut nunc in tenebris palpet, & opera tene-*

ra tenebrarum perpetret, ita renovari nos oportet, ut agnoscere Deum discamus, & sanctitati studeamus, inq; hac agnitione, & sanctitate proficiamus. Quod dum fit, amissa illa imago paulatim reparatur, & nos ad imaginem Dei creatoris nostri renovamur. De Tertio. *Ne quis censeat, sibi hoc, quod Apostolus jam dixit, dictum non esse, nec ad se pertinere, quosdam per indignitatem excludi, quosdam propter externas prærogativas admitti, omnibus citra conditionis, aut gentis respectum, se hoc dixisse indicat.* Ubi non est Græcus & Judæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, Servus & Liber: sed omnia, & in omnibus Christus. *Nulla est apud Deum personarum acceptio, nulla hîc prærogativa, quoquo nomine veniat, locum habet: Omnibus annunciari vult Evangelium Deus, ex cujus præconio in agnitionem ejus ducantur, ab omnibus ut inhærens ignorantia expellatur, sanctitas vitæ inveniatur, & sic imago Dei amissa reparetur, requirit.* Tollit *autem in hac sua recensione* tria *gentium, & populorum* discrimina. 1. est Græcus & Judæus, Barbarus & Scytha. *Admittit Deus omnes, sive Judæi, populus Dei electus, sive Græci, seu gentes, & quidem inter Græcos seu gentes Barbari, incultis moribus, & inter hos morum ruditate, & inconcinnitate barbaros reliquos vincentes, Scythæ sint.* 2. *Rituum observationes,* non est circumcisio, & præputium. *Sive quis sit circumcisus, seu incircumcisus, nihil id ad novum hominem valet, omnes illum oportet induere.* 3. *Generationis prærogativas.* Non est hîc Servus & Liber, *nihil hæc coram DEO sunt, apud quem* προσωπολημψία *nulla.* *Conjungit hos omnes in Christo.* Sed omnia, & in omnibus Christus.

In

In Christo omnis perfectio, huic se conjungant omnes & in illo adoleſcant. Conjungatur tamen cum hoc loco v. 27. & 28. Cap. 3. ad Galat.

Præmiſſo hoc rei convenientiſſimo præloquio, propoſitionem, de novo induendo homine, infert, *& ut ante membra veteris hominis, quæ deponenda ſuadebat, recitabat, ita nunc novi hominis membra, quæ induenda, recenſet.* Induimini igitur, ut electi Dei, ſancti & dilecti: *quia Chriſtianos nos non nudos, ſed veſte aliqua indutos eſſe decet 2. Cor. 5. 2. Apocal. 16. 25. Paulus induendi vocem uſurpat, ut indicet propoſitum ſibi eſſe præſcribere, quænam veſtis eſſe debeat qua ornati Chriſtiani coram Deo, angelis, Eccleſia compareant.* Epitheta autem tria in initio ponit, *quæ partim indicant, quinam illi ſint, quibus hanc veſtem aptat; partim rationes continent, cur illam veſtem, eis quas recitabit virtutibus inſignem, induere Chriſtianos oporteat.* Oportet illos, *qui veſtem illam induere, & in illa placere Deo volunt, eſſe* electos, ſanctos, dilectos. *Horum enim veſtes, & opera Deo ſaltem placent, propter Chriſtum, quem fide induerunt, & qui Chriſtum non induit, in quo nos elegit, ſanctificavit, diligit Deus, quamvis virtutum, poſtea recitandarum ornatu inſignis eſſe foris videatur: Deo tamen ſe non probabit, cui ſine fide impoſſibile eſt placere quenquam, Hebr. 11. 6. Et quia ſunt* 1. Electi, *quos ante jacta mundi fundamenta ad ſalutem in Chriſto Deus prædeſtinavit Epheſ. 1. 4. 2.* Sancti, *quos in tempore per Evangelium vocatos, ſanguine filij ſanctificavit. Johan. 17. 17. & in baptiſmo ad ſanctam vitam regeneravit Rom. 6. 4.* 3. dilecti, *quos cum inimici eſſent; Deus in gratiam propter filij meritum recepit, & dilectos ſibi reddidit per illum dilectum Epheſ. 1. 6. Æquum igitur eſt, ut hac electione, ſanctificatione,*

tione, dilectione dignam vitam agant. Nunc porrò virtutes aliquot enumerat, ex quibus vestis illa, qua Christianos exornatos esse oporteat, quasi contexitur. *Primo ponit* σπλάγχνα οἰκτιρμῶν, viscera miserationum.

Duo complectitur hæc virtus, affectum serium, & ardentem super proximi miseriis condolentiam; & effectum, quo misericordia moti, facto, miseris, & afflictis succurrimus, & operibus misericordiæ condolentiam nostram testatum facimus. Hæc nobis virtus exemplo Dei patris Matth. 5. 46. Lucæ 6. 36. qui misericordiam suam opere missionis filij probavit, & Christi Matt. 14. 14. commendatur. Secundo benignitatem. *Proles est viscerum miserationum, dum enim serio aliorum adversitatibus afficimur, in benignitatem erga eosdem prorumpimus, & re affectum animi probamus. Hanc nobis Paulus in Dei Tit. 3. 4. Christus, in sui ipsius exemplo Matth. 11. 29. proponit.* 3. humilitatem. *virtus, qua quis non superbè de se sentit, suam indignitatem, & in omnibus rebus parvitatem agnoscit.*

Exemplum intueamur Dei, qui cum in cœlis habitet, humilia respicit in cœlo & in terra Ps. 113. 7. & Christum, qui se ipsum humiliavit ad mortem usq; mortem autem crucis. Phil. 2. 5 & seq. 4. mansuetudinem. *Humilitatis effectus est, qua quis se morum suavitate affabilem & comem præstans, omnium in se amorem provocat. Laudat Christus exemplum patris cœlestis Matth. 18. 27. & suum nobis sistit Matth. 11. 29.* 5. longanimitatem. *qua nos non facilè ad iram commoveri patimur, aliorum mores incommodos ferimus, & ad illatas injurias vindicandas non prorumpimus.* Hanc primò describit, *post exemplo Christi suadet: ita sit hæc longanimitas comparata, ut* 1. nos invicem sufferamus. *quum propter imbecillitatem humanam*

facilè labi, & proximum vel id non cogitantes lædere possimus, communem fragilitatem nobis in mentem revocantes, invicem nos toleremus. 2. Mutuo condonemus, *non saltem toleremus, sed & condonemus, de retalianda injuria non cogitemus, nec vindictam meditemur, idq; gratis (id enim vult vox χαριζόμενοι) licet nihil inde ad nos utilitatis promanare posse videatur, hocq; agamus, etiam tum, quum de altero conquerendi justam causam habemus.* Si quis adversus aliquem habuerit querelam. *Quo tamen non prohibet, ne causa ipsa legitimè cognoscatur, coram illis, quibus judicandi potestas, abstit modo animus vindictam petens. Suadet hanc virtutem exemplo Christi.* Quemadmodum & Christus condonavit, ita & vos. *Qui non saltem nostra delicta, quibus & ipsum offenderamas, nobis condonavit, sed & pro illis patri cœlesti in cruce satisfecit, illiusq; iram placavit, & ita hæc Christi actio nostra sit instructio.* Sexto Caritatem, super omnia autem hæc charitatem (induite) *ut novus homo rectè exornetur, opus est charitate, quæ quasi anima est, reliquas illas supra enumeratas virtutes regens, absq; hac enim est, nulla vera invenitur miseratio, benignitas, humilitas, mansuetudo, longanimitas.* Hanc vinculum perfectionis *nominat, quod dum facit, pontificios charitatem ipsam perfectionem esse contendentes redarguit, illam non perfectionem, sed perfectionis vinculum nominando. Dicitur autem vinculum perfectionis.* 1. *Quia totum Ecclesiæ corpus, diversis constans membris, ne à se membra dissideant, unit. Itaq; corpus aliquod τέλειον Ecclesiam facit. Sic præter Chrysostomum Scholia Græca, etiam ex pontificiis Thomas Glossa interlinearis, Cajetanus exponunt. Philippus Melanchton super hunc locum, Perfectio (inquit) significat hîc coagmentationem, ut in ædificio, cum*

junctæ

junctæ & coagmentatæ sunt trabes, non divulsæ, non excussæ, non corruit opus. De hac perfectione, hoc est, coagmentatione hîc loquitur, qua cohæret corpus Ecclesiæ, congruunt firmi, & infirmi, docti utantur διακονίᾳ erga rudiores, dociles. Hujus perfectionis, h.e. Conjunctionis vinculum est dilectio. Ut in senatu etiamsi quandoq; dissentiant Scipio, & Fabius, tamen non oritur inde distractio Reipubl. quia cum illi idem spectent, hoc est ad eundem principalem finem tendant, ut salva sit Respub. cum sint amici, alter alteri cedit. Ita amicitia ipsorum, vinculum est concordiæ Imperii. Contra Marius, & Sylla, nec ad unum finem tendunt, nec sunt amici, ideo dilacerant Remp. sic in Ecclesia docti ac boni judiciis aliquando dissentiunt, & tamen alter alterum tolerat, & audit. Sed quando mentes sunt exulceratæ, tunc etjam recte dicta livore & malevolentia depravantur. Postea quæritur prætextus, quæritur ubiq; rixandi occasio. Sicut Salomon inquit, qui vult deserere amicum, quærit occasionem. Hæc non accidunt, ubi est dilectio. Ideo Paulus nominat dilectionem vinculum perfectionis, h. e. communis concordiæ. At non loquitur de perfectione privata ullius personæ, sed de integritate universi corporis Ecclesiæ. Secundò, propterea vinculum perfectionis charitas nominatur, quia omnes virtutes Christianas suo ambitu complectitur, & qui hanc induit, totum chorum virtutum, & ornatum Christianum induit, sicuti Rom. 13. 8. dicitur, qui diligit alterum, legem implevit. Consummatio itaq; legis est dilectio, ita ut qui veste charitatis non est indutus, totus nudus sit. Ut Paulus 1. Cor. 13. 3. si charitatem non habeã, nihil sum. Qui igitur charitatẽ induit, simul ante enumeratas virtutes, atq; adeò omnia κειμήλια, monilia & ornamenta Christiani hominis, cum hæc omnium virtutum parens, & rectrix, & conservatrix sit. Et qui charitatẽ exuit, exuit simul omnes vestes, & virtutes, & totũ ornatũ Christianum.

Septimo, Pacem. & Pax Dei palmam obtineat in cordibus vestris. *Gemina Dei pax, una quam cum Deo habemus, à Christo nobis partam: altera, quam cum proximo colimus, proles est charitatis, facitq; nos concorditer fratribus cohabitare, de hac Apostolo sermo.* Dei illa dicitur *tamen, tum ut illam verbo suo imperantis, tum ut in nobis spiritu suo producentis. Hæc pax & concordia vigeat, regnumq; in cordibus nostris obtineat, nec patiamur eam expugnari odiis, simultatibus, contentionibus, aliisq; machinationibus, quibus illam ceu arietibus validis Satanas, ejusq; satellites impetunt.* Causas, cur hanc fovere debeamus pacem, ponit duas. Prior *à nostra vocatione.* In quam & vocati. *Vocati ad communionẽ Evang. simul vocati sumus ad pacẽ Evang. dignã.* In uno corpore. *Ergo ceu membra corporis ejusdẽ concordiam & pacem invicẽ colamus.* 8. Gratitudinem, & grati sitis. *Si quid in nos ab aliis collatum beneficij, grata id mente agnoscamus, & re, quantum in nobis est, compensemus.* Nono. Verbi Dei inter nos inhabitationem. Sermo Christi habitet in vobis. *Permittamus, ut sedem & domicilium suum verbum Dei in nobis figat. Hîc illud nobis non tanquam hospitem, & peregrinum ignotum esse vult, sed ut domesticum, notissimum, & familiarissimum, cujus quotidianâ familiaritate & conversatione suavissime utamur. Et ut paterfamilias suæ familiæ agenda præscribit, ita nos verbum hoc ceu doctorem & rectorem audiamus, ad cujus nutum omnia nostra componamus. Sicut de se David affirmat, lucerna pedibus meis verbum tuum domine, & lumen semitis meis Psal.* 119. 155. addit habitationis modum. Primo apud nos habitet abundè. *Permittamus, ut illud publicè in conventibus nostris personet, & quisque privatus illud domi suæ perpetuo meditetur. Sicuti enim in*

V. T.

V. T. non ruminantia animalia non offerri volebat Deus: ita nec illos, qui sæpe apud se quæ Deus in verbo præcepit, non repetunt. Et beatum illum virum prædicat David, qui in lege DEI delectatur die & nocte Psal. 1, 2. Secundo, in omni Sapientia, *ut & illud ita proponant docentes, qui intelligi ab auditoribus possint, & auditores attendant, qui ex auditu, & expositione interpretantium ejus sensum & mentem percipiant.* Decimo. Musicæ sacræ usum. docentes, & admonentes vos invicem Psalmis, Hymnis, & odis spiritualibus. *Sunt qui hæc verba ad præcedentia referunt, voluntq; illis genuinum verbi divini usum indicari: ita verbum Dei in nobis habitare debere, ut ex eo alios informemus, credenda & facienda commonstremus, & ne saltem auditores, sed & factores verbi simus, alios monendo instigemus. Videntur tamen rectius ad sequentia accommodari posse, ut sensus sit: adeo nobis familiare esse debere verbum, ut illud nobis etiam ad hilaritatem inserviat, & cantantes talia cantemus, quibus & nos ædificamur, & Deus celebratur. Differentiam inter has voces, Psalmos, Hymnos, odas, alii aliam constituunt. Hieronymus super caput 5. Epistolæ ad Ephesios: Hymnos (inquit) esse dicendum est, qui fortitudinem, & majestatem prædicant Dei, & ejusdem semper vel beneficia, vel facta mirantur, quos omnes Psalmi continent, quibus alleluia vel præpositum, vel subjectum est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis quid faciendum, & quid vitandum sit, noverimus. Qui verò de superioribus disputat, & concentum mundi, omniumq; creaturarum ordinem, atq; concordiam subtilis disputator ediserit, iste spirituale canticum canit. Alij, (cum quibus etiam sentire videtur D. Lutherus, dum has voces germanicè reddit, Psalmen / Lobgesänge / geistliche liebliche Lieder)*

volunt Psalmorum appellatione comprehendi Davidis, & aliorum Psalmos. Per hymnos intelligi gratiarum actiones, & laudes Dei, quales sunt Mosis, Deboræ, Salomonis, Esaiæ, Danielis, Habacuc, Cantica. Per odas spirituales intelligendas esse canticum Mariæ, Zachariæ, Simeonis, & similia multa, qualia hodie in nostris templis usitata sunt, & quæ ad erudiendas, & commonefaciendas pias mentes plurimum conducunt. Alijs Psalmi sunt, in quibus decantandis præter vocem etiam instrumenta musica adhibētur, ut sunt organa, chelys, fistula & similia. Hymni, cantica, quibus Dei laudes decantamus, sive id fiat voce, sive præter vocem etiam Musica. Odæ cantiones, quibus gratiarum actiones, adhortationes, vaticinia, & aliæ res sacræ sola voce decantantur.

Omnes hi Psalmi, hymni, odæ spirituales *dicuntur 1. Propter causam efficicatem Spiritum sanctum, quem autorem habent. 2. objectum, sunt enim de rebus spiritualibus. 3. Materiam, quia verbis constant puris, & Sanctis; & hoc modo opponuntur cantionibus profanis, quæ ex lascivia ortum habent, res spurcas continent, & verbis constant obscœnis.* Modum cantandi addit. *CANI vult 1,* in gratia. *talis sit cantus, qui det gratiam audientibus, Ephes. 4. 29. ut ij qui hos cantus audiunt, eos ex Spiritu proficisci sentiant, iis afficiantur, & inde Deum amare, & vitam in melius commutare incipiant. 2.* in corde. *non sit cantus tantum oris, qualis illorum, de quibus Deus apud Esaiam. 29. 13. ipse populus appropinquat ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longe est à me. 3.* Domino, *non ut ab hominibus videamur, illisq; placeamus, cantare nos oportet, sed ut Deo nos probemus, ipsi cultum gratum præstemus, pro beneficiis acceptis & gratias agamus, gratiam ejus impetremus.*

Undecimo gloriæ divinæ in omnibus propagationem,

nem. *quod fit si 1. omnia in nomine JEsu Christi auspicabimur.* & omne quod agitis in verbo vel in opere omnia in nomine Jesu *(facite) Ne quid acturi dicturive, nostris viribus, sapientiæ, prudentiæ, eloquentiæ confidamus, sed in timore & invocatione Domini Jesu Christi incipiamus, rogantes, ut is Spiritu suo, deliberationes & actiones nostras regere velit. Sine ipso enim nihil possumus agere Johan. 15. 5. 2. si finis actionum nostrarum ultimus Dei gloria.* gratias agentes Deo & patri per eum. *Id agemus, ne nostram, sed Dei gloriam quæramus, ipsique pro felici successu gratias agamus, idque per Christum, extra quem ut dilectum nos placere Deo non possumus.*

Pertractavit hactenus Apostolus generalia, *& admonitiones, quæ ad omnes pertinent, recitavit.* Nunc porro particularia aliquot præcepta, iis qui in oeconomico statu vivunt, præscribit, sunt illa pro ratione hujus status triplicia. Inveniuntur enim in vita oeconomica 1. maritus & uxor, ex quibus conjugium: dein hujus fructus, liberi; hinc parentes & liberi. Tertio illis inservientes ministri; unde Dominus, & servus. Tribus hisce ordinibus vitæ oeconomicæ præcepta singula præscribit Apostolus.

Primum, ab uxoribus requirit subjectionem. Uxores subditæ estote: *quæ in obedientia & reverentia consistit, & à mulieribus exposcit, ne reluctentur maritis: eosve contemnant. Subjectionẽ hanc ad viros restringit: non enim necesse esse, ut mulieres aliis, quam viris se subjiciant. quamvis enim suis parentib. & matronis seniorib. honorem debeant: subjectionem tamen hanc solis debent viris. nec alienis sed* propriis, *quibus conjugij lege sunt devinctæ.* Suadet hanc *ab honesto,* ut decet. *Dei enim mandatum est, qui mulieri dixit: Sub viri potestate eris,*

& ille

& ille dominabitur tibi Gen.3.16. unde & Paulus 1. Timot. 2. 13. mulieri non permittit autoritatem usurpare in viros. Quare quæ ex mulieribus in viros imperium affectant, mandatum Dei negligunt, & naturæ leges, quæ viris mulieres subjicit, turbant. Quomodo subjectio debeat esse comparata *addit* in Domido. *Quo nihil contra Deum præcipitur: id si fecerit maritus, plus pia uxor Domino, quam marito debet. Sicut ab uxoribus subjectionem,* ita à maritis erga uxores dilectionem requirit. Viri diligite uxores. *Constanti amore eas prosequantur, & si ex muliebris sexus imbecillitate labuntur,* ne sint amarulenti adversus illas. *non ex animi impotentia, asperioribus vel verbis, vel verberibus eas tractent. vide Ephes.5.25. 1.Pet.3.7.*

Secundo de officio Liberorum & Parentum agit. Liberi *Parentibus debent obedientiam.* Liberi obedite Parentibus. *Quia propter judicij impotentiam se ipsos regere Liberi & juniores non possunt, sicut & Plato dixit: juvenem omni bestia immani immaniorem esse, alios oportet ut audiant, & potissimum parentes, & quidem in omnibus, quæ non sunt contraria legibus Dei. Parentibus autem illam obedientiam multis nominibus debent. Primo id lex naturæ efflagitat, idq; propter has rationes 1. Parentibus enim post Deum vitam debent. Ergo & obediant illis, à quibus vitam habent: hanc & Sirach habet cap. 7.v.29. & 30.* Deinde *ab iisdem habent rationem rectè vivendi: in cujus partem quia & præceptores veniunt, Aristoteles dixit: Diis, Parentibus, Præceptoribus non posse reddi æquivalens.*

Tertio *propter hæreditatem, Parentes siquidem magnos labores, multa per vigilia, plurima pericula subeunt, ut victum, amictum, & divitias liberis prospiciant: gratos pro hisce se obedientiâ præstent.*

Quarto

Quarto, *ut dum parere discunt, post imperare sciant, qui enim non didicit parere, ille nec scit imperare.* Porro *etiam divinæ leges hanc à liberis obedientiam requirunt, propter rationes prioribus prægnantiores. Harum unam Paulus hoc loco indicat,* hoc enim placet Deo, *præstant enim Deo cultum longè gratissimum Liberi obedientes Parentibus.*

Addi his possunt aliæ, quales sunt: præcepit Deus obedientiam; honora Patrem & Matrem tuam; promittens se compensaturum, ut bene sit tibi, & sis longævus super terram Exod. 20 12. *Ephes.*6.2.3. *sicut & hanc obedientiam compensavit in Rechabitis Jerem.*35. 18.19. *Inobedientibus pœnas comminatur Deut.* 21. 18. *& seq. Prov.* 19. 26. *&* 20.20. *Exod.* 21. 17. *Levit.* 20. 9. *Matth.* 15. 4. *Sic etiam Ethnicus Homerus dicit, ideo Simosium Authemionis filium, à Telamonio Ajace hoste interfectum, quod impius erga parentes fuerit, & eis* ἀντιφιλοτιμίαν *non reddiderit, & ob eam causam ei vitam breviorem contigisse. Iliados* δ. *non procul à fine. Videant inobedientes Liberi, ne & ipsi parentes facti, inobedientes Liberos nanciscantur, sicut Syracides c.*3.6. *ait: qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis.*

Parentes contra, liberalem educationem liberis debent. Patres ne irritate liberos vestros. *Duæ res sunt quibus in liberorum educatione peccare parentes solent; vel indulgentia, vel austeritate, seu nimia severitate, illa est matrum, hæc verò patrum frequentior; hos ergo admonet, ut potissimum in hac peccantes, ne severitatis limites in formandis liberis excedant,* causam præcepto addit, *ab inutili quod nimiam severitatem comitari solet:* ne animum despondeant. *Tyrannis illa Parentum in Liberos, & erga illos efficit, ut pusillanimes reddantur. Cum enim parentes in se sevire intelligunt, non pos-*

sunt non de parentum favore desperare, à quibus si se non diligi censent, quorum sibi favorem promittant? & planè abjecti desperabundiq; animi sunt.

Tertio à Servis requirit, ut Dominis suis, *in omnibus obediant. Hic ordine observentur* 4. 1. Præceptum: Servi obedite per omnia iis, qui secundū carnem sunt Domini vestri. *Servi illis quos secundum carnem, seu fideles, seu infideles sint, habent Dominos, in omnibus, quæ cum pietate non pugnant, obedire tenentur.* 2. Obedientiæ modus: *ita sit comparata, ut* 1. *non sit* ὀφθαλμοδουλία: non ad oculum servientes, ut qui hominibus placere studeat. *Morbus est ministris, & omnibus quorum opera conducitur, frequens, ut in præsentia Dominorum gnavos se exhibeant, quibus absentibus manum remittunt: ne ergo ad dominorum tantum præsentiam, & ipsorum oculos inspicientibus, Christiani servi fideles se præstent, & ut apud homines gratiam ineant, exigit.* 2. *quicquid faciunt ex animo faciant, tanquam Deo non hominibus inservientes.* Et quicquid feceritis ex animo facite, tanquam Domino, & non Hominibus, *non inviti sibi commissos labores exsequantur, nec Dominorum importuna severitate, se ad officii sibi demandati partes negligenter exsequendas permoveri sinant, reflectentes animum ad DEUM, ita singula peragant, quasi non hominibus sed Deo servitia exhibeant. Et dum obediunt Dominis, Deo se obedire putent.* 3. *Ratio obedientiam suadens desumta à retributione, quam Dominus rependet officij sui partes fideliter obeuntibus.* Scientes, quod à Domino recipiatis retributionem hæreditatis. *Dominus qui obedientiæ ex fide præstitæ recompensationem promisit, non permittet, ut gratis Servi Dominis obediant, sed ipse recompensabit.* Rationem addit,

cur

cur hanc obedientiam Dominis præstitam, Christus mercede dignabitur. Domino enim Christo servitis. *Quia dum obedienter Dominis vestris servitis, pro sibi præstitis officiis hoc Christo habet, & quia justissimus est, non permittet, quin quæ illi præstitistis servitia, æmula retributione compenset.* 4. *Instantiæ alicujus dilutio. Obtendere poterant servi; anne nobis servitutem detrectare licet, si iniquos se nobis domini præstiterint.*

Resp. Apostolus: Nam qui injustè egerit, reportabit mercedem iniquitatis suæ, & non est personarum acceptio, *Domino illud committatur. Ipsius est vindicta. Quia Domini nequam sunt, non propterea frugi esse servi desinant; DEus apud quem non est personarum respectus, ulciscetur illam quam domini servis illaturi sunt injuriam.*

A Dominis viciſſim id requirit, *ne suo in Servos abuteantur dominio, sed quæ ipsorum laboribus debentur, præmia, victum, & quæ præterea pacti sunt solvant,* Domini quod justum & æqvum est servis præstate. *Id ne negligant, vult eos hoc cogitare, se etiam Domino cuidam subesse:* Scientes quod & vos Dominum habetis in cœlis. *Immisericordes immisericors judicium experientur. Domini si immisericordes fuerint, eadem sibi à Domino summo promittant, qui illa quæ suis Servis faciunt cernit, & vindicem habens oculum, similia illis præstabit.*

CAPUT QUARTUM.

PRæcepta tria generalia recitat, quibus preces: in conversatione cum infidelibus prudentiam: in quotidiano sermone, gratiam cum sale requirit: deinde de privatis quibusdam rebus agit. Tychium & Onesimum se mittere, & quapropter ait, quos habeat apud se ex Judæis & gentibus, eorundemq; salutationes exponit. Salutari vult fratres qui erant Laodiceæ & Nympham. Jubet ut epistolam hanc & Laodicensibus prælegi curent & è Laodicensibus ad se missam legant; Archippum ut in officio fidelis sit admoneant; & tandem salutatione & voto epistolam concludit.

Partes capitis duæ sunt. Prima *tria præcepta generalia, de oratione, conversatione & sermone complectitur.* Posterior *occupatur in privatarum rerũ antè indicatarũ expositione.*

Præceptum primum generale est de oratione, *in quo* observentur quinque. 1. *ipsum precandi actum imperat.* Orationi instate. *quoniam perpetua indigentia laboramus, necesse est, ut perpetuò precibus ad Deum, qui se nos exauditurum promisit, confugiamus.* Deinde *quales esse debeant preces docet;* in iis requirit constantiam: Instate: *Ne, si non statim exaudiamur, collabamur, aut animum despondeamus, instemus, igitur & constantes Dei opem imploremus:* & vigilantiam: vigilantes in ea. *Non sint somnolentæ preces, aut inanes battologiæ, sed ardentes, quæ per Christum mediatorem fiant, & fiduciam exauditionis habeant.* Tertiò *gratiarum actio cum precibus conjungatur:* Cum gratiarum actione. *dum beneficia petimus simul pro acceptis gratias agamus,* Quartò *ut pro se quoque orent contendit:* Orantes simul & pro nobis. *Dum simul*

simul pro se preces petit fieri, neminem tantis donis ornatum esse indicat: qui non indigeat piorum precibus. Quintò. *quid pro se petere illos velit exponit,* ut Deus aperiat nobis januam sermonis ad loquendum mysterium Christi, (cujus etiam vinctus sum) ut manifestem illud quemadmodum oportet me loqui. *Deus est qui & docentis os aperit ad loquendum, & auditorũ aures ad audiendum: rogent igitur Deum, ut ipsi animum cum fiducia loquendi, & invicto animi robore proponendi mysteria Evangelij concedat. Deus enim est qui facit idoneos ad ministerium novi testamenti cum fructu obeundum.* 2. Cor. 3, 6.

Præcepto secundo *prudentiam in conversatione cum infidelibus requirit.* In sapientia ambulate erga eos qui foris sunt. *Ut domestici fidei illi sunt, qui Christianam fidem nobiscum amplectuntur: ita illi foris seu extra esse & extranei dicuntur, qui Christo nomen non dederunt, & Christianam religionem non amplectuntur. His si convivant, prudenter & sapienter ambulent:* quod fit, partim *dum cavent, ne illorum sceleribus & flagitiis infecti, eorundem impietatem, & mores impuros imitentur;* partim *dum vident, ne morum & vitæ impietate occasionem subministrent calumniandi doctrinam Christianam, & quos lucrari debeat, eosdem vitæ pravitate absterreant.* Causam *cur prudenter ambulare debeãt* addit: tempus redimentes. *ea propter id faciant, ut bono vitæ exemplo eos lucrentur, & ad Christianam fidem perducant.* Tertio præcepto, *sermonem format, In quo gratiam & salem requirit.* Sermo vester semper cum gratia sit Sale conditus. *Gratia orationi inest, si dicacitate & ineptiis, audientibus non sumus molesti. Sal in oratione invenitur, si sermonem nostrum pia aliqua prudentia con-*

condimus; eo errantes in viam reducimus; mœstos erigimus; ignavos exhortamur; rogantibus, consilium subministramus. Ut nulla sine sale sacrificia offerebantur, ita nec sine sale sit sermo.

Fructum *quem inde deportaturi sumus si hujusmodi fuerit sermo noster*, addit: ut sciatis quomodo oportet vos unicuiq; respondere. *Illud utilitatis hinc habebimus, commode singulis respondebimus, si gratia, si sal, in sermone nostro invenietur.*

Pars Secunda Capitis, *in qua res privatas persequitur Apostolus*, Sex membris absolvitur. 1. *Tychicum & Onesimum se mittere ait, & causam missionis addit:* res meas omnes patefaciet vobis Tychicus. *Commendat Tychicum à communi, quam secum habet, religionis professione:* dilectus frater. *Secundo à fidelitate in officiis sibi exhibitis præstita,* & fidus minister. *Tertio à communi ministerio, quod uterque publicè docere susceperat:* & conservus in Domino. Causæ missionis 3. sunt. Prima, *ut ipsis exponat statum & conditionem Apostoli:* res meas omnes patefaciet vobis. Secunda, *ut statum Ecclesiæ Colossensis exploret, & Apostolo eundem renunciet:* quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscat statum vestrum. Tertia, *ut Colossenses in doctrina, quam susceperant, confirmet:* & consoletur corda vestra. *Poterant Colossenses ob vincula, in quibus Apostolus propter doctrinam, quam ipsi complexi erant, hærebat, contristari, cruce & persequutione, quæ hujus doctrinæ confessionem comitatur, turbari: mittit igitur Tychicum, ut ille adversus hæc ipsis consolationes solidas subministret.* Conjungit Tychico Onesimum *legatum:* una cum Onesimo. *quis hic sit, inter interpretes non convenit: Verùm non videtur improbanda illorum opinio, qui cum Chrysostomo arbitrantur*

trantur, hunc fuisse Philemonis servum, quem una cum Tychico, addita ad Philemonem epistola, ad Ecclesiā Colossensium, & dominum suum remisit Apostolus, ut ita vel Ecclesiæ intercessione à domino recipiatur, & ut Colossenses apud priorem ipsius Dominum ejus susciperent defensionem. Tribus illum ornat elogiis: *nominat* fidelem, *qui fideliter Apostolo incarcerato inservierat.* 2. fratrem dilectum *qui Ethnicus ante, Romæ à Paulo conversus, & ad Christianam fidem perductus fuerat.* 3. qui est ex vobis: *Colossensium erat civis. Quæ ipsum omnia Colossensibus meritò commendare debebant; & illos stimulare, ut pro ipso apud Dominum, quem fuga sua offenderat, intercederent.*

Secundo membro partis secundæ, *nominat illos, quos ex Judæis & Gentibus, ad Christum conversos apud se habeat; eorundemque salutationes illis annunciat. Trium ex Judaismo meminit, Aristarchi, Marci & Jesu, qui vocatur Justus.* Salutat vos Aristarchus concaptivus meus. *fuit hic Thessalonicensis Act. 27. 2. qui una cum Apostolo in Asiam Act. 20. 4. & Romam Act. 27. 2. proficiscebatur, & Apostolo ibidem captivo in carcere inserviit, Epistolâ ad Philomonem v. 24.* & Marcus consobrinus Barnabæ; *de hoc Act. 15. 37. 38. 39. Hesychius lib. 7. in Levit. ad calcem, & Theophylactus, volunt hunc esse eum, qui postea Evangelium conscripsit: hunc vult ut venientem recipiant;* de quo accepistis mandata, si venerit ad vos excipite eum. *quia antè Apostolus recusarat hunc secum sumere, propterea quod noluerat in periculis subeundos labores una cum Apostolo obire Actor. 27. 38. Colossenses advementem rejicere poterant. Indicat igitur hunc non reputiandum, seq; cum illo in gratiam redijsse.* Et JEsus qui vocatur justus,

qui

quis ille fuerit ignoratur; censent quidam eum esse, cujus honorifica Act. 18, 7. mentio. Hos tres communi ornat elogio. Hi soli sunt cooperarii ad regnum Dei, qui fuere mihi solatio *quo iis tribuit 1. fidelitatem in Evangelio propagando. 2. quod consilio concarceratum Apostolum juverint, eundemque ad constantiam animaverint. Hos solos ex Judæis apud se Romæ habuit,* qui sunt ex circumcisione: *qui soli in tantis persecutionum procellis, quibus obruebantur Romæ Christiani, perstiterunt cum Apostolo, & cum eodem infracto animo omnia sustinuerunt.*

Tres quoque ex Gentilibus, Christianos factos nominat, quorum iisdem nomine Colossenses salutat. Primus est Epaphras, *quem ut Colossensibus commendatiorem reddat, triplici nomine eum commendat. 1. quia eorum est civis,* qui ex vobis est, *quem eum diligere debeant propter communionem religionis; tamen, quia civitatis jure cum illis præterea conjungitur, tanto eum sibi magis habeant commendatum. 2. quia publicus est Ecclesiæ minister:* Servus Christi. *publicè Evangelium proponit, & in hoc servilia & ministeria Christo Domino exhibet, ergo eo etiam loco habendus. 3. quia summè pro Ecclesiarum sibi commissarum salute est sollicitus;* Semper anxiè laborans pro vobis in precationibus, ut stetis perfecti in omni voluntate Dei, *quia ipsi de insidiis Diaboli circumeuntis ut in errorem deducat, qui semel ingressi sunt viam salutis; & de carnis humanæ imbecillitate constat, perpetuo suis pro vobis apud Deum precibus intercedit, ut ipse vos, qui rectam viam ingressi estis, eam porro decurre faciat, & illam vestram ad Dei voluntatem conformetis. Probat hanc Epaphræ sollicitudinem ex sua propria scientia,* testimonium enim illi perhibeo, quod habeat multum

studii

ſtudii pro vobis & his qui ſunt Laodiceæ & Hierapoli. *Fidem ergo huic Apoſtoli teſtimonio adhibeant, & propterea arctiore ipſum viciſſim amore complectantur, ejus doctrinam, & adhortationes admittant. Secundus;* Lucas. Salutat vos Lucas. *Hunc cum non numerarit inter illos qui ex circumciſione, illum non Judæum ſed gentilem fuiſſe apparet. Eſtq; is, ut veteres interpretes ad unum ferme omnes putant (licet ex neotericis quidam diverſum ſentiant,) qui Pauli perpetuus comes, Evangelium & Acta conſcripſit. Nominat eum Medicum profeſſione. Et dilectum qui Paulo, propter officia plurima, & fidem, chariſſimus.*

Tertius Demas *qui poſtea amans præſens ſeculum à Paulo defecit, 2. Tim. 4. 10.*

Membro tertio. *Suo nomine vult ſalutari, 1.* Fratres qui ſunt Laodiceæ. *Deinde* Nympham, *quem non, ut Ambroſius putat, feminam, ſed virum fuiſſe articulus αὐτῆ indicat,* & Eccleſiam quæ in domo Nymphæ eſt, *familiam ergo ſuam informaſſe rectè colligitur, quod alias omnes patresfamilias agere oportet.*

Membro quarto. *Duo ab illis exigit, 1. ut Epiſtolam hanc lectam, etiam Laodicenſibus legendam tradant:* & cum perlecta apud vos fuerit Epiſtola, facitote in Laodicenſium etiam Eccleſia legatur; *quo teſtatur, unis quidem Eccleſiis inſcribi ab Apoſtolo epiſtolas, quæ tamen communes eſſe plurimis, & ab omnibus eandem fidem profitentibus, legi debent. 2. Ut illam quam Laodicenſes ad ſe ſcripſerant, etiam ipſi legant:* Et quæ ex Laodicea eſt, ut & vos legatis. *Variant ſuper hac Epiſtola interpretes, veteres & recentes: ſed receptior eſt opinio, fuiſſe vel à tota Eccleſia Laodicenſium, vel à paſtore ejus*

ad Apostolum missam Epistolam, in qua quædam Colossensibus scitu necessaria continebantur, ergo & illam ipsi legant, cui firmandæ rationem adhibent, ex eo quod Apostolus scribat ἐκ τῆς λαοδικείας h.e. ex Laodicea: cum, si ad Laodicenses ipse epistolam misisset, dicendum fuisset τὴν πρὸς λαοδικείας. Oecumenius cum Chrysostomo ἐκ εἶπε τὴν πρὸς λαοδικεῖς, ἀλλὰ τὴν ἐκ λαοδικείας φαῖσιν. ἢ τὴν ἀπὸ παύλε πρὸς λαοδικείας, ἀλλὰ τὴν ἀπὸ λαοδικέων πρὸς παῦλον, ἵν γὰρ ἡ πάντως ἐν αὐτῇ ὠφελῶν κολοσσαεῖς. D. Hunnius tamen contendit ad Laodicenses ab Apostolo epistolam scriptam, quæ intercidit, ut & ad Corinthios una, cujus 1. Corint. 5. 9. mentio. Superiorem expositionem huic præfero. Quare & Hieron. Tom. 1. p. 81. Legunt quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.

Quinto. *Archippum moneri vult, ut officij sui partes fideliter obeat.* Et dicite Archippo. Vide ut ministerium quod accepisti in Domino, illud adimpleas. *Videtur hic fuisse Epaphræ, Romæ tunc agentis collega, & in officio aliquanto negligentior, admoneri igitur ab Ecclesia debuit, ut fidelem se præstaret.* Tria *hic simul indicantur.* 1. *stimulus ad deligentiam,* Vide. 2. *à quo minister habeat ministerium,* à Domino, *vel immediate, vel mediate intervenientibus Ecclesiæ membris, vocante.* 3. Finis *vocatorum ad ministerium,* ut illud impleant, *ut Domini, cujus ministri sunt, regnum propagent, & Ecclesiam, quantum in se est, fideliter ædificent.*

Sexto. Epistolam concludit salutatione, precumquas Colossenses pro se fundere debebant expetione, & fausta imprecatione. *Salutatio.* Salutatio mea manu Pauli. *Ne dubitarent à quo Epistola esset conscripta, & quis eos salutaret, sua manu ipsis salutem ascribere voluit, quo simul testatur,*

statur, sincero se eos amore complecti, cum sua manu & salutem illis ascribat, & in ea salutet. Preces Colossensium his expetit. Memores estote vinculorum meorum, *quia in vincula conjectus erat Paulus, & suam operam prodesse Ecclesiæ amplius arbitrabatur, contendit, ut apud Deum intercedant, ita cum illo in hisce vinculis agat, ut hæc incarceratio ad Dei gloriam promovendam faciat. Fausta imprecatio.* Gratia sit vobiscum, Amen. *Sicut Epistolam voto cepit, ita etiam voto eandem concludit, & gratiam & favorem divinum precatur, & ne de illo dubitent assertivam particulam*

Amen *addit.*

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730110508/phys_0088
DFG

a tenera adhuc erat Ecclesia, quæ facilè odio
Ecclesiæ stabilimentum vult ut substernant,
sectari, prosequi,, eam â se fugientem inse-
Paulus Rom. 14. v. 19. & Petrus 1. Pet. 3.
suadens utitur. Quemadmodum venatores
quuntur, & tanti sper urgent, donec vel re-
ternant; ita vult summo studio pacem quæ-
ut, variisq; modis eam hi quibus cum agimus
lt ut cum omnibus colant, nõ saltem cum
um vivunt, sed & qui nos lædunt, & injuria
re inimici animus frangitur vehementius,
pacis studiosum eum cernat, quem ipse quo-
ntentionem allicit. 2. Ad sanctimoniam
timoniam, qua corporis & animi purita-
libidines mentem occupent, & spurca venus
ἁγιασμὸς vox usurpatur Rom. 6. v. 19. i. Thes.
v. ult. Suadet hanc inde, quod sine hac
debit. Beatorũ in futura vita felicitas in
ic nisi privari velint, mentis & corporis ca-
Matt. 5, 8. beati, & Deum visuri dicuntur.
& 1. Ioh. 3, 3. qui spem habet videndi Domi-
onservar. 3. Christianã pro alijs sollicitudi-
m, vel vitia enormia, gratia Dei excidant,
ntes, ne quis deficiat â gratia Dei, non
anum hominem sollicitum esse oportet, ve-
juxta cum ipso membra Christi sunt, debet,
n fide & pietate confirmentur. ὑστεροῦντα dicun-
dunt, & serius adveniunt, quod alios qui-
qui non valent. Ita quia commune cum
mi stadium ingressi simus, si quos cernimus,
ntes, hos non negligamus, sed id operam
demus,